CHRISTOPHORI CELLARI SMALCALDIENSIS NUCLEUS GEOGRAPHIAE...

Christoph Cellarius, Pietro Francesco : de Rossi

Digitized by Google

6
15-D
27

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 G
42

6 - 15. D. 27

BB
VIII
55

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioth. Eccl. et Schol. Piarum
S. Pantaleonis

Ex legato Rev.mo Dni Franci. de Rubeis


CHRISTOPHORI CELLARI
NVCLEVS
GEOGRAPHIÆ
ANTIQVÆ ET NOVÆ.
VNVS ORBIS NON SVFFICIT
IENÆ
Apud Iohannem Bielckium
1676

CHRISTOPHORI CELLARI
SMALCALDIENSIS
NUCLEUS GEOGRAPHIÆ ANTIQVÆ ET NOVÆ,
Exhibens
Cujuslibet Provinciæ
Metropolim, Regiam, Portus, Emporia, Fortalitia, Academias, Gymnaſia, &c.
Cum
Rerum memorabilium, quæ hic illic geſtæ ſunt, ſuccincta explicatione,
& Indice Locorum copioſiſſimo.

JENÆ,
Sumptibus BIELCKIANIS.

ANNO M DC LXXVI.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Sacri Protoſynedrij
Saxo-Vinarienſis
EMINENTISSIMO
PRÆSIDI,
Ceterisq; Graviſſimis
ASSESSORIBUS,
Patronis Maximis:

Digitized by Google

): (o): (

Perquam Magnifi-
co, & magnarum rerum
uſu vere Nobiliſſimo
DOMINO
VOLCMARO
HAPPIO, JC.
*Sacri Palatii Cæſa-
rei Comiti, & Illuſtriſsimi
Regiminis, quod Vinariæ eſt,*
***Vice - Cancellario Spe-
ctabiliſſimo:***

Digitized by Google

*Magnifico itidem atq; Nobi-
liſsimo Domino*

JO. PHILIPPO
SCHMIDIO, JC.

**Conſiliario Aulico Saxo-Vi-
narienſi Splendidiſſimo:**

Digitized by Google

SUMME QUOQUE REVEREN-
DO ATQUE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO

CONRADO
von der Lage/

SS. Theol. Lic. Con-
cionatori Aulico Saxonico,
Superintendenti, & Eccleſiæ Vi-
narienſis Paſtori Primario
Vigilantiſſimo,

MO-

Digitized by Google

MONUMENTUM PIETATIS, OBSERVANTIÆ ET GRATITUDINIS

P.

Auctor

)(4 Do-

Digitized by Google

Domini Magnifici,

Patroni Venerandi,

ABùtor aucto-ritate Veſtra & benevolen-tia, dum Geographi-co huic Compendio Celebratiſſimum No-men Veſtrum præfi-xum cupio. Quod ſi libellus tum mole grandior, tum cura & arte limatior prod-iiſſet, excuſatius me facturum fuiſſe, mi-nuſ-

Digitized by Google

nuſq; moleſtiæ dedicationem habituram non prorſus diffido. Sed Vos ipſi eſtis, Patroni Optimi, qui a prolixitate ad compendia me deduxiſtis, & cum Scholam noſtram nuperrime novo Collega augeretis, mihi quoq; negotium dediſtis, ut cum Univerſali Hiſtoria Geographiam *quoq; juven-*

Digitized by Google

tuti explicarem. Non enim vos latet, quantum damni hactenus divinis humaniſque ſcientiis, præſertim vero utiliſſimo Hiſtoriarum ſtudio, rerum Geographicarum ignoratio attulerit. Quamvis vero vehementer dubitem, an exaſciato Veſtro judicio atq; cenſuræ ſatisfecerim: fore tamen non deſpero, ut

pa-

Digitized by Google

patrocinium libelli ſuſcipiatis, cujus auctorem hactenus auctoritate Veſtra tam egregie defendiſtis. Humili itaque obſervantia rogo obteſtorque, ut pro more Veſtro, ideſt, benigne ac benevole accipiatis opuſculum, quo tum Veſtra erga me ingentia beneficia Orbi deprædicata, tum meam gratitudinem

atque obſervantiam declaratam volui. Hoc ſi impetratum à Vobis fuerit, habebo & quod mihi gratuler, & quod æternum Vobis debeam. Vivite, Patroni Maximi, cum Eccleſiæ, tum Reipublicæ, tum Vobis ipſis felices, & inpoſterum quoque Muſas meas Vobis habete quam commen-

Digitized by Google

mendatiſſimas. Scribebam Vinariæ ipſis Idibus Octobris ∞ Iↄc LXXV.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUæ nova nunc facie Geographia prodit, neſcio, utrũ tam rei, quam ordinis & methodi novitate Novi Compendii nomen tueri ac ſuſtinere poſſit. Licet enim non paucæ urbes, caſtella, flumina aliæque memorabiles res huic opuſculo acceſſerint, quæ quis fruſtra in aliis libellis requiſiverit: nolo tamen de his quicquam

dicere, quæ ſponte tandem, quod ſpero, ſe legentibus probabunt. De methodo ſolum & ordine adjicere nonnihil viſum fuit faciendum. Dum ſecula & homines immutantur, ipſa quoq; Orbis terrarum facies non leviter commutatur; ut longe aliam hodie, quam olim, præ ſe ſpeciem ferat. Diſtingui itaque inter *Veterem* & *Novam Geographiam* omnino oportuit, ut illa lectioni Claſſicorum Scriptorum, id eſt, veterum Hiſtoricorum Poëtarumque, &c. inſerviret; hæc præſentis ſeculi, & quæ in eo ſunt, dominiorum, imperiorum &c. rationem habeat. In

Ve-

Digitized by Google

veteris Orbis deſcriptione non novos ſcriptores, ſed paris vetuſtatis Geographos ac Hiſtoricos ſecuti ſumus, quo factum fuit, ut antiquos teſtes recentium, quamvis Clariſſimorum Virorum, auctoritati ſubinde anteponeremus. Sunt enim, ut exemplo me explicem, qui *Mycalen* oppidum Cypri faciunt, ut idem prælium Græcorum, quo apud Cyprum e regione Eurymedontis Pamphyliæ fluvii Perſarum claſſem vicerunt, poſſet etiam apud Mycalen commiſſum dici. Sed quæ veſtigia illius oppidi in antiquitate? Nulla ſane deprehendo, &

Dio-

Diodorus. Siculus lib. xi.cap. 34. omnem novitatem, quæ Cornelio forſàn Nepoti excuſando (in Cimone cap. 2.) invenitur, fortiter diſpellit Μυκάλην τῆς Ἰωνίας, *Mycalen Iöniæ*, non Cypri, appellans, quæ nomen prælio iſti acerrimo largita fuerit. Nec minus nonnunquam in oppidis ὁμωνύμοις invenio deviatum eſſe, dum, ut alio exemplo utar, Antiochi Magni cum Romanis prælium ad Magneſiam illam factum ſcribunt, quæ ad Mæandrum fluvium fuit, cum potius *Magneſia ſub Sipylo monte*, ut Strabo appellat, intelligenda ſit, quod Antiochus proxime

an-

ante prælium μετεστρατοπέδευσεν ἀμφὶ τὸ ὄρος τὸ Σίπυλον, *caſtra habuit ad Sipylum montem*, Appiano in Syriacis reſtante fol. 75. Præprimis circa *Philippos*, diverſarum urbium nomen, halucinatos tam veteres, quam noſtræ ætatis ſcriptores deprehendo. Quid enim frequentius in Geographorum libellis legitur, quam quod *in Philippicis & Pharſalicis campis Pompejus à C. Julio Cæſare; Caſſius & Brutus à Cæſare Auguſto bellis civilibus fuerint profligati?* Nec noſtro demum ita ſcriptum fuit ſeculo; ſed & multa antiquitatis monumenta idem præ ſe erroris ferunt.

Google

ferunt. Quis crederet Virgilium Ovidiumq; (at quantos Poëtas & quam peritos rerum Geographicarum!) nominis ſimilitudine defraudari potuiſſe, illum quidem I. Georgicorum v. 490. hunc XV. Metamorph. v. 828. ſeq. ut diverſos Philippos, & Theſſaliam cum Thracia confunderent? Et ne ſolos Poëtas ita luſiſſe putes, en Florum addo accuratum cetera in locorum notatione ſcriptorem, qui Bruto & Caſſio eandem, quàm Cn. Pompejo, *arenam fatalem* lib. IV. cap. 7. attribuit. Quis non fidat auctoritati tantorum? Sed quo minus fidei habeam, Alexan-

dri-

pere, ſicut primus quoq; mihi auctor atq; monitor conſcribendi libelli fuit. Id autem eſt, quod maxime vereor, ne multitudo quaſdam urbes, caſtella, flumina nobiliora &c. memoriæ meæ ſubduxerit, quod eo facilius fieri potuit, quo animum ad compendia propenſiorem, dum ſcripſimus, habebamus. Spero tamen ſufficere *Compendio* & *Nucleo*, quæ poſuimus, quamvis non Geographico commentario. His itaq; utere, Benevole Lector, & ſi quid in rebus tam multis, variis ac diverſis erratum fuit, benigne interpretare & vale.

NU

NUCLEUS GEOGRAPHIÆ ANTIQUÆ ET NOVÆ.

GEographia eſt notitia Globi Terraquei, cujus rotunditas ex inæqualitate dierum & noctium, præprimis ex conica umbræ terreſtris figura in eclipſi Lunari demonſtrari poteſt. Talis enim umbra non poteſt, niſi corporis rotundi, eſſe. Non vero intelligenda eſt rotunditas accuratiſſima & Geometrica, (talem enim montes altiſſimi cum vallibus impediunt) ſed qualis in grano piperis, aut malo aurantio deprehenditur. Dividi Globus Terraqueus commodiſſime poteſt tripliciter: Mathematice, Phyſice, Politice. De ſingulis

Digitized by Google

tem umbram Meridianam diverſo tempore habent, Septentrionalem & Meridionalem: *Heteroſcii* in Zonis Temperatis, quibus umbra meridiana ad alterutram plagam perpetuo cadit: *Periſcii* in Zonis Frigidis, ubi, quod æſtivo tempore perpetuus dies eſt Sole Horizontem non egrediente, fit, ut umbra in circulum quaſi redeat. *Antiſcii*, qui contrariam umbram habent vel ſemper, quales reſpectu Europæ ſunt omnes, qui ultra Tropicum Capricorni verſus Auſtrum habitant; vel certo tempore, ut Arabiæ Felicis quidam incolæ, qui Pompeji arma in Græciam ſecuti Lucano III. verſ.248.dicuntur

Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

2. reſpectu ſitus & cohabitationis, atque ſic ſunt *Antipodes*, noſtræ terræ prorſus oppoſiti: *Antœci*, qui eandem longitudinem, eandemque latitudinem trans Æquatorem habent,

Digitized by Google

bent, quam nos habemus cis eundem, & vice verſa: *Periœci*, qui in eadem nobiscum Zona ſub eadem Poli elevatione habitant circumcirca; ſed in ſpecie, qſ. κατ' ἐξοχὴν, qui longitudine 180. graduum, id eſt, integri ſemicirculi a nobis diſcrepant.

Quod ut intelligatur, Longitudo & Latitudo locorum paucis explicanda eſt. *Longitudo* eſt tractus ab occaſu in ortum, cujus menſura eſt Æquator. Quia vero omnis circulus in 360. gradus dividitur; gradus vero in 60. minuta; hinc eadem ſupputandi ratio in Geographia uſurpatur. Utinam vero certius eſſet initium ſupputationis, & vel tandem Geographi in Meridiani primi conſtitutione conſentirent! Maximus enim hic diſſenſus eſt, plurimorum tamen in eo concordia, ut inter Braſiliæ litora & Canarias inſulas hunc principem Meridianum ducant vel per Teneriffam aut Palmam Canarias; vel

Digitized by Google

per aliquam de Cabo Verde, aut etiam Flandricarum Inſularum.

Lougitudo vero loci alicujus invenitur in Globo vel Mappa, ſi ex Polo per locum datum linea ad Æquatorem continuetur: quem in Æquatore gradum ſecabit, is quæſita loci longitudo erit.

Latitudo vero eſt tractus ab Æquatore verſus alterutrum Polum, ejusque menſura eſt Meridianus, ad quem ſi locus datus in Globo applicatur, gradus Meridiani diſtantiam illius loci ab Æquatore i. e. quæſitam latitudinem demonſtrabit. Coincidit autem Latitudo loci cum Poli elevatione ejusdem loci quoad quantitatem. Cum vero duo ſint Poli, Latitudo quoque duplex eſt, Septentrionalis, ab Æquatore verſus Septentrionem: & Auſtralis, ab Æquatore verſus Polum Antarcticum.

Hinc magnitudo Terraquei Globi cognoſci poteſt, ſi ſuppoſueris cujus-

juslibet majoris circuli gradum (quod mutatio Elevationis Poli confirmat) in terra abſolvere 15. milliaria Germanica. Quod ſi 360. gradus (totidem conſtare circulum ſupra diximus) per 15. multiplicaveris, proveniet ambitus noſtri Orbis, nempe 5400. milliaria Germanica.

Porro huc pertinet diviſio in Cardines, *Orientem* Oſt: *Occidentem* Weſt: *Meridiem* Sud: *Septentrionem* Nord / unde venti cardinales nominantur, *Eurus* ſeu *Subſolanus* Oſtwind: *Zephyrus* ſeu *Favonius* Weſtwind: *Auſter* ſeu *Notus* Sudwind: *Boreas* ſeu *Aquilo* Nordwind. Intermedii à nautis numerantur 28. ex quibus quatuor præcipui ſunt *Cæcias* NordOſt: *Vulturnus* SüdOſt: *Caurus* NordWeſt: *Africus* SüdWeſt.

CAPUT II.

De Diviſione Orbis Phyſica.

Digitized by Google

PHyſice Globus Terraqueus dividitur in partes terreſtres & aquas. Terreſtres ſunt

1. *Continens*, terra mari non diremta, ſeu ex qua in aliam ſicco pede tranſiri poteſt, ſicut v.g. Germania eſt continens reſpectu Italiæ, non vero reſpectu Britanniæ.

2. *Inſula*, quæ eſt undique mari cincta. Inſularum aliæ ſunt majores, ut *Britãnia, Laurentii, Sumatra, Borneo* &c. aliæ mediocres, ut *Hybernia, Sicilia, Sardinia, Creta, Ceilon, Hiſpaniola, Cuba*: quædam parvæ, ut *Selandia* Daniæ, *Majorica* Hiſpaniæ, *Corſica, Eubœa, Cyprus, Helenæ* &c. Tandem minores aliæ ſunt innumerabiles, ex quibus eas tantum adducere viſum eſt, quæ collective enunciantur, ceu ſunt *Canariæ, Virides, Aſores* ſeu *Flandricæ* in Oceano Atlantico: *Orcades* ſupra Scotiam: *Ægates* & *Æoliæ* ad Siciliam: *Strophades* in Jonio mari: *Cyclades* & *Sporades* in Ægæo: *Maldivæ*,

Digitized by Google

divæ, Moluccæ & *Philippinæ* in Indico Oceano: *Inſulæ Salomonis* in mari Pacifico, &c.

3. *Peninſula* ſive *Cherſoneſus*, maximam partem mari cincta, aliqua tamen continenti cohærens. Nobiliores ſunt *Peloponeſus*, *Cherſoneſus Cimbrica*, *Taurica*, *Aurea*.

4. *Iſthmus*, anguſta terra, qua continenti peninſula adhæret. Et totidem ſunt Iſthmi, quot peninſulæ, præprimis celebrantur *Corinthiacus*, & *Panamenſis* Americam Septentrionalem Meridionali jungens.

5. *Mons* eſt portio terræ ſenſualiter globoſa, cujus ſuperficies inæqualiter diſtat a centro tendentiæ. Montium altiſſimus creditur *Picus* eſſe in inſula Teneriffa, quæ una ex Canariis ſeu Fortunatis eſt: huic ſuccedunt *Atlas*, *Ætna*, *Caucaſus*, *Æmus*, &c. Montes quidam etiam ſunt *ignivomi*, ut *Ætna* non tantum veterum Poetarum fabulis, ſed inſi-

gni quoque clade, quæ menſe Majo 1537. Siciliæ illata eſt, admodum famoſus. Deinde *Veſuvius* Campaniæ incendio ſuo Plinium avunculum, ſuffocans, nec minus 1632. furibundus fuit, neque nuperrime minari deſiit. Porro *Hecla* Islandiæ, & permulti alij in India Orientali & Occidentali, quos deſcribit Varenius Geogr. Gen. a p. 101. Montes, qui longo tractu progrediuntur, *Juga* dicuntur, cujusmodi ſunt *Pyrenæi* montes, *Alpes*, *Apenninus*, *Taurus*, *Caucaſus*, *Riphæi*, *Carpatici*, montes *Lunæ*, juga *Peruviana* omnium longiſſima, &c.

6. *Promontorium*, hodie *Cabo*, quaſi caput, mons eſt in mare prominens. Celebria promontoria ſunt Siciliæ tria, *Pelorum*, *Pachynum*, *Lilybæum*: Peloponneſi *Maleum*, quod *Aureum* piratæ a ſpoliis vocabant. *Mycale* ad Joniam: Africæ *Cabo Verde*, celebratiſſimumq; *Bonæ Spei*, &c.

7. *Por-*

7. *Portæ* ſunt anguſti tranſitus per montes, rupes, aut inter rupem & mare. Græci *Pylas* vocant, item στενά: Latini *fauces, clauſtra.* Notiſſimæ ſunt *Thermopylæ* in Græcia Xerxis prima clade famoſæ, quarum ſitum deſcribit Appianus in *Syr. fol. 70. Gr.* ſunt præterea *Ciliciæ pylæ, Italiæ fauces* ad Alpes, *portæ Caſpiæ,* &c.

Partes aqueæ ſunt

1. *Mare*, Generis nomen, cujus Species ſunt *Oceanus, Sinus, Fretum, Lacus.*

2. *Oceanus* eſt mare Orbem habitabilem circumfluens, die offenbare See. A regionibus, quas alluit, varie nominatur, ut *Atlanticus, Æthiopicus* (uterque nautis Mare del Nort dicitur, quamvis minus proprie,) *Indicus, Hyperboreus,* &c. aut a qualitate ſua, ut *Mare Pacificum* (del Zur nautis) quo ex America in Orientalem Indiam placido curſu navigatur.

3. *Sinus* (vulgo Golfo & Baya) eſt

excurſus marium in terram. Eſtque vel *oblongus*, ut mare Mediterraneum, Sinus Arabicus, Perſicus, &c. vel *latus*, ut Gaditanus, Mexicanus, Gangeticus, &c.

4. *Fretum* eſt anguſtia maris, Straſſe/ Canal. Celebriora freta ſunt Herculeum ſeu Gaditanum, Britannicum, (das Canal) Danicum (der Sund) Siculum, Helleſpontus, Boſporus Thracius & Cimmerius, Fretum Magellanicum, le Maire, Waigats, &c.

5. *Lacus* eſt copia aquarum undique terris cincta, navigabilis, plerumque fluvium recipiens iterumq; emittens. Quidam eorum Maris nomen retinent, ut *mare Geneſareth* ſeu Galilææ, *mare Mortuum*, quorum illud Jordanem recipit emittitque; hoc tantum recipit. Præterea huc pertinent (*Mæotis palus*,) *Lacus Lemanus* Rhodanum per ſe transmittens. Maximus vero lacuum eſt *Ma-*

re Caſpium ſeu Hyrcanum, (hodie Mare de Sola) quod perperam veteres ſinum Oceani ſeptentrionalis credebant eſſe. Quod ſi navigationis patiens non eſt, potius *Stagnum*, quam lacus, appellari meretur.

Poſſent quoque flumina, thermæ, acidulæ, ſalinæ adjungi: verum quia per ſe ſunt notæ ſignificationis, malumus, ſi digna erunt, ad ſingula loca, ubi inveniuntur, horum quoque mentionem facere.

CAPUT III.

De Diviſione Orbis Politica.

POlitice tandem Orbis dividitur ſecundum imperia, regna, dominia, nationes &c. e. g. in *imperium Romanum*, *Perſarum*, *regnum Hiſpaniæ* &c. aut in regiones & nationes, v. g. *Indiam*, *Scythiam*, *Parthiam*, *Sy-*

Digitized by Google

Syriam &c. Singula infra explicabuntur ordine. Et quia hæc tam diverſa dominia quatuor maximis partibus includuntur omnia, *Europa* ſcil. *Aſia*, *Africa* & *America*; non abs re erit illarum hoc loco diviſionem & terminos appoſuiſſe.

Europam a ſeptentrione & occaſu terminat Oceanus, a meridie mare Mediterraneum; ab ortu mare Ægæum, Propontis, Pontus Euxinus, Mœotis palus cum fluvio Tanai, ſupra quem Europæ & Aſiæ termini confuſi incertique ſunt.

Aſia terminos habet ab occaſu communes cum Europa: ab ortu & ſeptentrione Oceanum: a meridie clauditur Oceano Indico, ſinu Arabico, Iſthmo Ægypti, & parte maris Mediterranei.

Africa eſt magna peninſula undique Oceano Atlantico, Auſtrali, Indico, ſinu Arabico, mari Mediterraneo clauſa præter exiguam Ægypti par-

partem, qua continenti Aſiæ adhæret.

America omnium maxima pars ſpeciem referens duarum peninſularum communi Iſthmo cohærentium. Terminos habet undique Oceanum, ſaltem freta Magellanicum & Anian: ſed verſus ſeptentrionem ejus facies nondum eſt ſatis cognita.

De ſingulis diſtincte. Auſpicaturi vero ex Europa partes ejus conſtituimus ab occaſu in ortum progrediendo Hiſpaniam, Galliam, Belgium, Britanniam, Germaniam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Hungariam, Daciam, Illyricum, Italiam, Græciam, Turciam Europæam, Moſcoviam. Singula capita ſingulæ partes nobis dabunt.

CAPUT IV.

De Hiſpania.

HIſpania hic omnem regionem, quæ inter Pyrenæos montes, Ocea-

Digitized by Google

Oceanum occidentalem & fretum Herculeum eſt, & ſic ipſam Portugalliam quoque complectitur.

Hiſpania Antiqua.

OLim Hiſpania Romanis erat vel *Citerior* ſive *Tarraconenſis*, inter Pyrenæos montes, Durium fluvium & Virgitanum ſinum latiſſime patens: vel *Ulterior*; & hæc iterum vel *Bætica* a freto Gaditano ad fluvium Anam; vel *Luſitania* inter Anam Oceanum ac Durium terminata.

Tarraconenſis urbes erant *Tarraco* a Cn. & P. Scipionibus condita, *Carthago Vetus*, Punica colonia, Oſca, & *Pompejopolis* tropæum Pompeji in bello cum Sertorio; *Ilerda*, ad quam Cæſar cum Pompeji legatis conflixit: & hæ omnes cis Iberum. Transfluvium in ripa eſt *Cæſarauguſta* & *Julia Celſa*, utraque colonia Romana: *Calaguris* bello Sertoriano famæ domita. Ad Durii fontes *Numantia* forti-

titu-

titudinis exemplum Romanis bellis notiſſimum: ad Mediterraneum mare *Saguntus* excidio ſuo bellum Punicum II. accendens: *Dianium* Sertorij receptaculum: *Carthago Nova* Punico bello II. a Scipione capta. *Celtiberi* inter Iberum & Anum fluvium late habitabant, *Cantabri* vero inter naſcentem Iberum & Oceanum, qui inde Cantabricus dicitur.

Bæticæ ſunt *Corduba* Senecæ & Lucani patria: *Munda*, ad quam Cæſar Pompeji liberos profligavit: *Hiſpalis*, hodie Sevilla: *Italica*, ſcil. colonia, Silij Italici patria, & in vicina inſula *Gades*, Tyriorum colonia.

Luſitaniæ caput erat *Auguſta Emerita*, Auguſti Cæſaris colonia: inde *Ulyſippo* (hodie Liſabon) quam Strabo & Solinus ab Ulyſſe conditam exiſtimant.

Fluvij majores ſunt *Iberus* & *Sicoris*, hodie Xucario, in Mediterraneum mare; *Bætis*, *Anas*, *Tagus*, *Du-*

Digitized by Google

Durius in Oceanum ſe exonerantes.

Promontoria ſunt *Calpe* ad fretum, cui in Mauritaniæ litore *Abyla* reſpondet, & hæ ſunt famoſæ illæ *columnæ Herculis*: Promontorium *Sacrum* (hodie Cabo Vincentii) in extremo occidente.

Hiſpania Nova.

POſtquam Romanis Hiſpaniam Gothi, & Gothis Mauri Saraceni, & his iterum Chriſtiani ſucceſſu temporis eripuerunt, factum eſt, ut in plura regna minora, prout quiſque partem Barbaris eripuerat, vetus Hiſpania divideretur, quæ tandem in quatuor præcipua coaluere iterum.

I. CASTILIÆ, cujus caput *Madrit*, regia ad hunc diem Hiſpanorum, deinde *Toletum* Archiepiſcopi ſedes, *Complutum* & *Salmantia* Academiæ, *Murcia* & *Granata* olim capi-

capita regnorum, *Sevilla* emporium ad Bætim fl. cum portu *S. Lucæ, Compoſtella* Galliciæ, peregrinationibus inclyta, *Oviedo*, & portus Cantabrici Oceani *Bilbao* & *S. Sebaſtian. Merida* ad Anam (Auguſta Emerita) & *Gibraltar* portus ad fretum, *Carthagene* (Carthago Nova) portu inſtructa.

II. ARRAGONIÆ, cujus metropolis *Saragoſſa* ad Iberum (olim Cæſarauguſta) & præterea *Barcellona*, *Valentia*, *Tarragona*, *Tortoſa*, quarum quælibet portu claret. Tota Catalonia regni Arragonici pars erat, in qua *Perpignan*, &c.

III. NAVARRÆ ad Pyrenæos montes, in quo regia ſedes fuit *Pompelona* (Pompejopolis) Reliqua oppida ſunt fere obſcura.

* Hodie Arragoniæ & Navarræ regna maximam partem Caſtiliano acceſſere, & proprios reges habere deſierunt. Inde enatum eſt Hiſpaniæ regnum hodiernum, quod ma-

malunt *Hiſpanicum*, quam Caſtilianum vocari.

IV. PORTUGALLIÆ, quæ denuo a Caſtilianis 1640. defecit. Metropolis eſt *Lisbona*, emporium totius Europæ maximum ad Tagi oſtia: Præterea *Setubal* portus Lisbonæ vicinus; *Portus* ad Durii oſtium, *Conimbria* Academia, *Brigantia* Ducum olim ſedes, hodiernorum Regum mater.

Inſulæ Hiſpanicæ ſunt *Gades* ſeu Cadix in Oceano portum habens & Navale: *Baleares* (Majorca & Minorca) & *Ebuſus* ſeu Yvica cum *Ophiuſa* in mari Mediterraneo.

CAPUT V.

De Gallia.

GAllia a meridie Pyrenæos montes cum Mediterraneo mari: ab occaſu Oceanum Aquitanicum: a ſeptentrione Britannicum Ocea-

Digitized by Google

rum cum Belgio habet: ab ortu Germaniam, Helvetiam, Alpes.

Flumina Galliæ majora ſunt *Rhodanus*, *Garumna*, *Ligeris* (Loire) & *Sequana* (Seine) Prior in Mediterraneum mare: reliqui in Oceanum devolvuntur.

Gallia Vetus.

GAllia Romanis erat vel *Ciſalpina*, quæ hodie pars Italiæ eſt; vel *Transalpina* & proprie dicta, & hæc iterum vel *Braccata* ſeu *Narbonenſis* ad mare Mediterraneum; vel *Comata*, & hoc ſubdividebatur in *Aquitanicam* inter Ligerim & Pyrenæos: *Lugdunenſem* ad Rhodanum & ſupra Ligerim: *Belgicam* a Sequana ad Scaldim, vel ipſum Rhenum.

NARBONENSIS cito in Romanorum poteſtatem venit, unde *Provincia Romana* κατ' ἐξοχὴν appellata fuit. Urbes habebat *Narbonam*,

Digitized by Google

nam, emporium ad extremum Gallicum ſinum: *Arelaten* tribus Conciliis & regno inde cognominato ſatis celebrem ad Rhodani ante oſtium divortia: *Maſſiliam* ſtudiis & bonis moribus florentem, coloniam Phoccoorum: *Aquas Sextias*, a thermis & Sextio Calvino conditore appellatas, qui *Salyes* populos ibidem ſubegerat.

AQUITANIÆ populi inter multos erant *Bituriges*, *Lemovices*, *Arverni*, quorum urbes *Avaricum* & *Gergoviam* Julius Cæſar expugnavit. *Burdigala* (hodie Bordeaux) Auſonii patria Synodo Burdigalenſi nomen dedit.

LUGDUNENSIS Galliæ (quæ & CELDICA dicitur) urbes ſunt *Vienna*, antiqua Allobrogum metropolis. *Allobroges* vero ſunt inter Alpes & Rhodanum ſub lacu Lemano (Genever See) ubi hodie eſt Sabaudia & Delphinatus. Deinde *Lugdu-*

num

num Rom. colonia, patria Claudii Cæſaris, ſedes Irenæi. Porro huc pertinent *Ædui*, primi ex Gallis Romanorum amici, quorum *Auguſtodunum* eſt; *Sequani* Romanorum hoſtes infenſiſſimi, quorum urbem *Alexiam* Cæſar flammis delevit: *Pariſii*, qui jam tum Strabonis ætate colebant urbem *Lutetiam*.

* *Belgium* cap. ſequente dabimus.

Gallia Nova.

NOvæ Galliæ a Belgio & Ciſalpina diſtinctæ nobiliores provinciæ ſunt.

1. *Picardia*, vicina Belgio, cujus metropolis eſt *Amiens*: *Bauvois*, olim Bellovacum.

2. *Francia*, ubi *Pariſii* ſive *Lutetia* ad Sequanam, regia ſedes & caput nationis, etiam Academia: *Verſailles* arx amœniſſima regiam aulam non raro detinens deliciis ſuis.

3. *Cham-*

Digitized by Google

3. *Champagne*, ubi *Rheims*, *Sedan*, *Melun*, & *Fontaine belleau*.

4. *Beauſſe* inter fluvios Loire & Seine, ubi eſt *Orleans* (Aurelia & Aurelianum) nobilis Academia.

5. *Normandia*, in qua *Roan* (Rotomagus) emporium : *Cadomum* (Caen) Academia.

6. *Bretaigne* in angulo Oceani, ubi *Nantes* Academia & emporium portu præditum : *Rennes* mediterranea urbs: *Vannes* vero & *Breſt* portubus celebres ſunt, a quorum ultimo prope abeſt promontorium *Gobaum*.

7. *Anjou*, ubi *Angiers* (Juliomagus) ad Ligerim, & *Saulmur* (Salmurium) ambæ Academiæ: *Tours* (Turonum) itidem ad Ligerim.

8. *Poictou* (Pictavia) ubi eſt *Poictoirs* S. Hilarij Epiſcopatu nobilis.

9. *Xantoinge*, ubi *Sainctes*, & *Rochelle* (Rupella) maritima urbs ſtupenda obſidione Reformatis 1628. erepta.

10. *Guien-*

10. *Guienne*, cujus caput eſt *Bordeaux*, emporium navium in Garumna appulſu felix.

11. *Languedoc*, ubi *Toloſa*, urbs magna & Academia: *Narbona*, antiquum fortalitium: *Montpelier* (mons Peſſulanus) Academia ad ſinum Gallicum.

12. *Provence*, in qua *Arles* ſeu Arelate: *Avignon* (Avenio) Academia, ubi ſedes Papalis fuit ab 1306. ad 1377. Supra hanc eſt *Orange* (Arauſio) quæ principatui quoque nomen dedit. Porro ad mare ſunt *Aix* (Aquæ Sextiæ) & *Marſeille* ſeu Maſſilia & tandem *Toulon* portus Mediterranei maris clariſſimus.

13. *Dauphine* (Delphinatus) ubi *Lion*, vetus Lugdunum, & *Valentia*: *Grenoble* ſeu Gratianopolis.

14. *Piedmont* ad Alpes verſus Italiam ex parte tantum Galliæ eſt: pars enim major, quæ metropoles habet, ad Italiam pertinet.

Digitized by Google

15. *Sabaudia* (Allobrogum regio) ubi *Cambrai* & *Geneva* ad lacum Lemanum, libera civitas, Johannis Calvini ſedes. Quandoque Aurelia Allobrogum appellatur.

16. *Burgundia* Inferior ſeu Ducatus (nam Superior ſeu Franche Comte, in qua *Dole* Academia & *Beſanco* metropolis ad Hiſpanos pertinet, quamvis ante ſeſquiennium a Gallis occupata) urbes habet *Chalons*, *Auſtun* (Auguſtodunum) *Doyon*.

17. *Bourbon*, ubi urbs hujus nominis eſt *Bourbon*, & *Clermont*.

* *Metz*, *Verdun* & *Toul* in finibus Lotharingiæ Romano Imperio pridem erepta nunc Galliæ accenſentur.

Inſulæ Gallicæ ſunt *Stœchades* in mari Mediterraneo: *Iſle de Rez* apud Rupellam: *Belle Iſle* ad Britaigne ſuperiori anno Belgarum claſſe aliquoties territa.

CA-

CAPUT VI.

De Belgio.

BElgium hic tam late cum antiquis non extendimus, ut quicquid inter Sequanam, Rhenum, Oceanum, & Juram montem eſt, & ſic magnam quoque Galliæ, Germaniæ & Helvetiæ partem complectatur: ſed XVII. provincias illas intelligimus, quæ inter Germaniam, Galliam & Oceanum Britannicum ſitæ ſunt, & hodie partim libertate gaudent, partim regiæ Hiſpani Gallive poteſtati ſubſunt.

Belgium Antiquum.

ANtiquorum incolarum nomina ferme ſunt 1. *Morini* ad fretum Britannicum, ubi *portus Icius* (hodie Cales) & urbs *Geſoriacum* fuit. 2. *Ba-*

Digitized by Google

tavi in inſulis & divortijs Rheni, vulgo Hollandi. 3. *Menapij* Brabantiæ & Flandriæ populi. 4. *Sicambri* ad ripam Rheni pars Geldriæ & Zutphania, ad Cliviæ uſque Ducatum. 5. *Bructeri*, Tranſyſalani. 6. *Eburones*, Leodicenſes, Lütticher. 7. *Atrebates*, ubi hodie eſt Arras, &c.

Belgium Novum.

HOdie Belgium in *Hiſpanicum* & *Confœderatum* dividitur. Hiſpanis parent X. provinciæ, licet multæ urbes, a Gallis præcipue, ſint ereptæ. Sunt vero maximæ ex his provinciis

1. FLANDRIA, ubi *Gandavum* (Gent) urbs eximiæ magnitudinis, Caroli V. & Ferdinandi I. incunabulis clara: *Brugg* amœniſſima: *Ypern* Epiſcopalis ſedes: *Duacum* (Douay) Academia: *Oſtende* triennali obſidione Hiſpanorum ab 1601. ad 1604. celebrior facta: *Dünkirch* por-

portus Gallorum munitiſſimus ab Anglis nuper venditus. Præterea *Cortryck*, *Oudenarde*, *Tornay*, &c.

2. BRABANTIA, cujus caput eſt *Antwerpia* (Antorff) emporium inſigne ad Scaldim: *Bruxellæ* (Brüſſel) Gubernatoris Hiſpanici ſedes: *Lovanium* (Löven) Academia: *Mechlen* tribunali clara & Juridico conventu: *Herzogenbuſch* & *Breda* egregia propugnacula Principum Arauſiacorum virtus expugnavit, hoc quidem 1589. illud 1629. & Galli urbem *Maſtrich* in confinio Leodicenſium 1674.

Reliquæ provinciæ minores ſunt, nempe Artois, ubi *Arras*, *S. Omar*: Hennegau, ubi *Mons*, *Cammerik*: Geldriæ pars, in qua *Rurmund* & *Geldra*. Sed *Namur*, *Lüzenburg*, *Limburg*, & provinciarum, & urbium nomina ſunt. Ex ſuperioribus ſi additur Marchionatus Antwerpienſis, Dynaſtia Mechlinenſis, utrumque in medio

Brabantiæ ſolo: decem numero habebuntur Provinciæ.

Belgium *Confœderatum* (ſic dictum a libertatis fœdere contra tyrannidem Hiſpanicam 1579. Ultrajecti inito) ſeptem provincias continet:

I. Hollandiam, ubi *Ambſtelodamum* emporium nulli ſecundum: *Lugdunum Batavorum* (Leyden) quod 1574. obſidionem gravem ſuſtinuit, nunc Academia floret: *Dordracum*, (Dortrecht/ Dort) Synodo Reformatarum Eccleſiarum 1618. celebre. *Haga Comitum* (Haag) ubi Senatus Ordinum Generalium habetur. Præterea *Harlem*, *Briel*, *Alckmar*, *Horn*, *Roterdam*, *Delft*, *Enkuſen*, civitates nitidæ.

II. Selandiam, ubi Mittelburg & Fliſſingen/ utraque portu optimo inſtructa, hæc etiam ſic munita, ut clavis Oceani Belgici cenſeatur.

III. Friſiam Occidentalem, Weſt-Frießland / (nam Orientalis ad Ger-

ma-

maniam pertinet) in qua ſunt *Lewarden*, *Worcum* & *Franecker* Academia.

IV. Zutphaniam, ubi *Zutphan* urbs, *Groll*, *Bredefort*, cum parte Geldriæ, in qua ſunt *Arnheim*, *Niemegen*, *Grave* 1674. a Batavis poſt operoſam obſidionem recuperata.

V. Ultrajectinam, cujus metropolis eſt *Ultrajectum* (Utrecht) Academia clarum, & *Ammersfort*.

VI. Tranſyſalanam (Ober-Yſſel) ubi *Deventria* Gymnaſio inſignis, *Swoll* emporium, *Cœverden* propugnaculum & clavis Gröningenſis provinciæ, nuper a Gröningenſibus ſtrategemate recuperatum, *Campen*, &c.

VII. Gröningen, provincia, urbs, Academia ejuſdem nominis eſt. Sola hæc urbs 1672. Galli ſociorum impetum ac obſidionem fortiſſime ſuſtinuit.

Flumina Belgij ſunt *Scaldis* (die

Schelde) ad Antwerpiam: *Moſa* (Maſe) & *Rhenus*, qui parens eſt aliorum *Yſel*, *Leck* & *Waal*, & ſuum inde nomen amittit.

Portus denique & navalia præter urbes Selandiæ & Flandriæ maritimas habentur *Texel*, *Vlie*, *Schelling*, omnes ad Oceanum Friſium, quibus via ex Oceano patet Ambſtelodamum. Nomen vero hi portus habent a vicinis inſulis.

CAPUT VII.

De Britanniæ Regno.

BRitannicum Regnum eſt totum inſulanum, & ex tribus diſtinctis regnis conſtat, Anglico, Scotico in magna inſula Galliæ ex ſeptentrione oppoſita, quæ Magna Britannia dicitur: & Hibernico in inſula occidentaliore Hibernia.

Bri-

Britannia Antiqua.

ANtiquitus Magna Britannia *Albion* dicta paucas vel nullas urbes habebat, ſiquidem, Strabone teſte, nemora Britannis pro urbibus fuere: *Eboraci* tandem Spartanus in Severi vita c. 19. mentionem fecit. Cæſar Julius primus Romanorum ex Morino portu in hanc inſulam cum exercitu trajecit, & *in Cantiis* ſolum, qui proximi ſunt inter fretum & fluv. *Tameſin* populi, res quaſdam geſſit. Longius progreſſus Claudius Cæſar Agricolâ duce. At Adrianus, Antoninus Pius, & Septimius Severus ad Scotiam uſque penetrarunt, quam, ut Spartianus in horum vitis auctor eſt, muris transverſis ab inferiore Britannia ſejunxerunt, ſic obicem barbarorum incurſionibus ponentes. Silveſtris erat inſula, & *Caledonius*

nius ſaltus, Romanorum terror, quem alij in ſola Scotia ponunt, totam pene occupabat. Tacitus quoque *Caledoniam* videtur regnum Scotiæ appellare.

Status Britannicarum Inſularum Novus.

IN tria regna hæ inſulæ dividuntur, quæ vero hodie ſub unius ſunt imperio. Ex his eſt

I. ANGLIA, meridionalis pars inſulæ Britannicæ majoris, a freto in ſeptentrionem porrecta ad oppidum *Barwick* in litore Oceani Germanici, ſeu ad fluvium *Twede*. Metropolis & ſedes regia eſt *Londinum* ad fluvium Tameſin (Temſſe) celebre emporium. Archiepiſcopales ſedes ſunt duæ, *Cantaburry* (Cantuaria) non procul a freto Belgico, Lanfranco & Anshelmo Epiſcopis nobilitata: & *Ebo-*

Eboracum (ſive York, unde ſecundo genitus regis filius princeps de York dicitur) verſus Scotiam. Duæ quoque ſunt inclytæ Academiæ, *Oxfort* (Oxonia) cui lumen additit Edoardus Pococke, Orientalium Lingg. Profeſſor: & *Cantabrig.* Portus & emporia præterea celebrantur *Hull* & *Yarmuth* verſus ortum & ſeptentrionem: *Pleymuth* & *Briſtol* verſus Galliam: *Dovern* quoque portus eſt ad fretum Belgicum. Inſulæ ſunt in meridionali mari *Vectis* (Wight) Stuarti regis captivitate nota: in occidentali *Mona* ſeu Man, verſus Hiberniam.

Ceterum Anglia in duas magnas provincias dividitur, Cambriam ſeu *Walliam* (unde primogenitus regis filius princeps Walliæ dicitur) ad mare Hibernicum: & *Loegriam* huic oppoſitam. Utraque in ſuperiorem & inferiorem, ſeu ſeptentrionalem & meridionalem ſubdividitur.

II. SCOTIA, quæ a fluvio Twede ad fines inſulæ ſeptentrionales excurrit, caput regni habet *Edenburg* ad Oceanum Orientalem. Archiepiſcopales ſedes & Academiæ ſunt *Glaſquo* & *S. Andreas*. *Aberdona* quoque Academiam habet, ſed portum meliorem. Inſulæ ad occaſum adjacent *Hebrides* plus minus XXX. Ad ſeptentrionem vero *Orcades* XL. amplius numero.

III. HIBERNIA (Irrland) regiam quondam, nunc Archiepiſcopalem ſedem habet *Armach*, quam Jacobus Uſſerius ſuo in Orientales literas ſtudio condecoravit. Deinde eſt *Dublin*, urbs munita, portus, emporium, Academia, etiam ſedes Proregis. Præterea *Wexford* & alia oppida.

CA-

CAPUT IIX.

De Germania.

GErmania inter Oceanum, Belgium, Galliam, Italiam, Hungariam, Poloniam terminatur. Dividenda nobis pro more erit in Veterem & Novam: & illa iterum in Cisrhenanam & Transrhenanam.

Germania Antiqua Cisrhenana.

IN hac erant *Ubii*, Colonienſes: *Treviri*, qui id nominis retinent: *Vangiones* ad Wormatiam: *Nemetes* ad Spiram, Speyr: *Mediomatrici*, Lotharingii: *Tribocci*, Alſati, im Elſaß / &c.

Germania Antiqua Transrhenana.

I. INter Rhenum & Viſurgim erant *Uſipii* ſeu *Uſipetes*, & quidem ad

Digitized by Google

Rhenum, ubi Luppiam recipit: Inter Luppiam & Amiſiam amnes *Teutoburgenſis* ſaltus fuit, in quo Quinctilius Varus cum tribus legionibus cæſus eſt, Tacit. 1. Annal. 60. Porro *Marſi* quoque inter illos amnes fuerunt: *Tenchteri* vero inter Uſipios & Lanum: *Mattiaci* circa Marpurgum: *Catti* pariter Haſſi: *Dulgibini*, Padelbornenſes: *Angrivari* circa Mindam: *Chamavi*, Oſnabrugenſes & Bremenſes: ab Albi ad oſtia Viſurgis *Chauci*, vel *Cauchi*, &c. licet inter tot diſcordes ſententias & varias populorum transmigrationes hæc ex conjecturis potius, quam certis argumentis ſtatuantur omnia.

II. Inter Mœnum, Rhenum & Danubium: *Seduſii* circa Darmſtadt: *Marcomanni* ad Nicri ripam utramque, quibus in Bohœmiam, cedentibus ſucceſſerunt *Alemanni* (forſan a lacu Lemano) colluvies Gallica. *Harudes* ad ripas Tubaris, Tauber.

III. In-

III. Inter Albim & Viſtulam. Late ſe hic ad Oceanum diffundebat gens *Svevorum*. Diſtincte vero nominantur 1. *Cimbri* in Cherſoneſo, Holſati, ubi etiam *Teutones*, *Saxones*, *Angli*. 2. *Varini*, Meklenburgenſes. 3. *Carini* Pomerani. 4. *Langobardi* inter Albim & Oderam, ubi nunc Marchia Brandeburgenſis. 5. *Semnones* ex parte Luſati. 6. *Hermunduri* Miſniæ ac Voigtlandiæ partem incoluiſſe putantur, quibus 7. *Quadi* proximi erant a Palatinatu ſuperiore ad Moraviam extenſi: 8. *Cheruſci* Brunſuicenſes & Luneburgenſes putantur fuiſſe, ubi reliquiæ ſunt *Hercyniæ* famoſæ ſilvæ.

IV. Intra Danubium & Alpes eſt 1. *Vindelicia* a lacu Brigantio ſive Acronio (Bodenſee) & monte Abnoba ad Ænum fl. continetq; Schwaben/Beyern. 2. *Rhætia*, magis inalpina, ab Helvetia ad Atheſin, Tirol, Griſones Graupünter/ in finibus Italiæ.

liæ. 3. *Noricum*, inter Ænum, Danubium, Alpes & Pannoniam, continet Saltzburg / Auſtriam, Steyermarck / Carinthiam.

Urbes priſcis Germanis nullas fuiſſe, ex Tacito notum eſt: caſtella quædam memorantur a Germanis partim, partim a Romanis extructa, e. g. *Mattium*, *Magontiacum*, &c.

Germania Nova.

INcipimus ab AUSTRIACIS provinciis, e quibus 1. eſt Auſtria, cujus caput *Vienna* (Wien) Imperatoria ſedes & Academia, 1529. a Turcis fruſtra obſeſſa. Poſt hanc eſt *Linz*, emporium ad Danubium, *Neuſtadium*, &c. 2. Stiria, ubi Grâtz Archiducum quondam ſedes: *Rackelsburg* munimentũ Turcis oppoſitum. 3. Carinthia, in qua *S. Viti* metropolis, & *Villach*. 4. Carniola, ubi Laubach / Creinburg locus munitus. 5. Tirol, ab

ab arce *Terioli* inalpina nomen habens. Metropolis eſt Inſprugk / Archiducum ſedes: *Tridentum* ad Atheſin Concilio ſuperiori ſeculo notum & epiſcopatu. Vicinus his eſt Archiepiſcopatus Salzburgenſis a metropoli Saltzburg appellatus.

Excipit BAVARIA, quæ epiſcopales ſedes habet *Paſſau*, & *Ratisbonam* (Regenſpurg) illam pacificationis initiis 1552. hanc comitiis Imperii, cujus libera urbs eſt, inclytam. Porro celebrantur *Monachium* (München) pulcerrima Electoris ſedes: *Ingolſtadium* Academia & urbs munitiſſima. PALATINATUS Superior etiam huc ſpectat, in eoque Neuburg & Sultzbach Principum domicilia: *Lavinga* ad Danubium Gymnaſii olim ſedes, cujus Heilbrunnerus acZæmanus Profeſſores erant, a Pontificiis vero 1618. deletum fuit.

Proxime ſequitur SUEVIA, cujus eſt *Ulm* ad Danubium, *Auguſta*

Vin-

Vindelicorum (Augſpurg) Confeſſione Proteſtantium celeberrima: *Nördlinga* clade Suecica 1634. inſignis: *Rotbweil*, ubi Juridicus Imperii conventus eſt: & *Dillinga*, Jeſuiticâ Academia & Epiſcopi Auguſtani ſede nobilis.

Non procul abeſt WURTENBERGENSIS Ducatus, cujus caput *Stutgart* eſt, Ducum ſedes: *Tübinga*, Academia Ducali collegio celebris.

FRANCONIA nunc ſe aperit, ad quam pertinet *Herbipolis* (Würtzburg) Epiſcopi ſedes & Academia: *Wertheim* Comitum ſedes: Königshofen munitiſſimum oppidũ: Schweinfurt/ libera civitas: *Bamberga* Epiſcopi ſedes: *Rotenburg* ad Tubarim, & *Winsheim* liberæ civitates. Inclyta *Noriberga*, Germaniæ ornamentum, in hoc quoque confinio eſt, cui *Altorfium* paret, Academia celebris. Franconiæ pars eſt quoque Ducatus

CO-

COBURGENSIS, cujus oppida ſunt *Coburg*, Ducum olim ſedes, & Gymnaſii etiam hoc tempore: *Heldburg*, cujus Magnus Gerhardus, nondum Jenenſis Profeſſor, Superintendens fuit, *Königsberg*, *Römbild* &c.

Comitatus quoque HENNEBERGICUS quædam Franconiæ portio eſt, ubi *Schleuſinga* Comitum olim habitatione, etiamnum Gymnaſio clara: *Meinunga* Regiminis Saxonici (ante diviſionem Principatûs) domus: *Sula* armorum officinis referta: *Masfeldum*, arx munita & ſedes ultimi Principis Hennebergici: Zillbach venationibus amœniſſima, Ducum Vinarienſium ſeceſſus. Huc pertinebat olim *Smalcaldia* fodinis & officinis ferrariis dives, etiam conventu Principum Proteſtantium 1537. & Articulis Symbolicis ibi conſcriptis inclyta. Nunc paret Landgrafiis Haſſo-Caſſellanis.

In conſinio Franconiæ eſt quoque *Mar-*

Digitized by Google

Marchionum Brandeburgenſium quidem tractus, in quo Anſpach & *Bareuth* Principum ſunt ſedes, & hæc poſterior etiam Gymnaſio 1664. exornata. Præterea *Culmbach*, *Heilsbrunn* Cœnobium in Gymnaſii formam redactum, *Curia* (Hof) &c.

In tractum RHENANUM ex Franconia divertimur, ubi 1. occurrit ALSATIA, Elſaß/ quæ vel *Superior* eſt continens *Colmar*, *Sletſtadt*, &c. vel *Inferior*, in qua *Landau*, *Hagenau*, &c. omnes Imperii civitates, ſed a Gallis nuper oppreſſæ. In finibus Alſatiæ eſt quoque *Argentoratum* (Straßburg) Academia & mercatu urbs illuſtris & libera: & Epiſcopatus Argentoratenſis, in quo Elſaß-Zabern ſedes Epiſcopi eſt, *Molsheim* vero Academia Jeſuitica. Supra Alſatiam eſt *Brisgovia*, in eaque *Friburgum* Academia, & *Briſach* a Bernhardo Vinarienſi Duce 1638. captum, nunc in Gallorum eſt poteſtate.

Con-

Confines quoque ſunt LOTHARINGIA, cujus caput eſt *Nancy*, emporium: & Comitatus MOMPELGART a munito oppido hujus nominis appellatus. Poſſidetur a Ducibus Würtenbergicis.

Præterea in Rhenano tractu eſt MARCHIONATUS BADENSIS, in quo *Baden* & *Durlach* utraque Marchionum ſedes: & quatuor Electoratus:

I. PALATINUS (die Unter-Pfaltz) cujus metropolis eſt *Heidelberga* Electoris ſedes & Academia: *Simmern*, etiam Principum ſedes erat, ut taceamus *Bipontum* (Zweibrück) *Birckenfeld*, *Lautereck*, *Lutzelſtein*, & alias quaſdam civitates ſeparatis Palatinorum lineis nomen largientes. *Frankenthal* & *Manheim*, munitiſſima oppida: Philipsburg vero eſt Gallorum receptaculum.

Vicinæ ſunt Epiſcopales urbes, ſed liberæ, *Worms* & *Spira* (Speyr) illa

Apo-

Apologiâ Lutheri 1521. hæc tribu
nali Imperii, quod Cameram vocan
inclyta. Libera quoq; eſt *Heilbrunn.*

II. MOGUNTINUS, cuju
caput *Moguntia* (Maintz) ſedes Ele
ctoris & Academia: *Aſchaffenburg*
Ingelheim Caroli M. aliquando ſe-
des.

Non longe abeſt *Francofurtum ad*
Mœnum, libera civitas, mercatu &
Imperatorum coronatione nobiliſ-
ſima.

III. COLONIENSIS, ubi
Colonia Agrippina ſeu Cöln / Colonia
nempe auſpiciis Agrippinæ, quæ Clau-
dii Cæſaris uxor fuit, deducta, nunc
Academiam quoque habet: *Bonna*
ſedes Electoris. *Leodicenſis* Epiſco-
patus quoque huc pertinet, in quo
eſt Lüttich / cujus arcem Galli nuper-
rime occuparunt: præterea *Huy, Di-*
nant &c.

IV. TREVIRENSIS. Hujus
caput eſt *Auguſta Trevirorum* (Trier)
jam

jam a noſtris recuperata ejecto Gallorum præſidio. Poſt hanc eſt Coblentz munitum oppidum, & caſtrum *Ehrenbreitſtein*.

Succedit Rheno vicina HASSIA, quæ ſi juxta Principum ſedes dividatur, eſt 1. *Caſſel*, urbs munita cujus Principibus ſubeſt *Hirſchfeld* Abbatiæ nomine, & Ziegenhain munitiſſimum oppidum, &c. *Marpurgum* quoque, quod Academiam habet, huc pertinet.

2. *Darmſtadt*, etiam Landgrafiorum ſedes, qui inſuper poſſident *Giſſam* munimentis & Academia celebrem: *Ruſſelsheim* fortalitium ad Mœnum: *Nidda*; *Alsfeld*: & *Butzbach* in Wettaviæ finibus prope *Fridbergam* liberam civitatem.

3. Oppidum *S Goar* (S. Gewähr) cum arce *Reinfelſa*. Huic ſubeſt *Schwalbach* cum acidulis ſuis.

4. *Homburg* an der Höhe / unde Landgrafii Heſſen-Homburg dicuntur.

Vici-

Vicini Haſſiæ ſunt Comitatus WALDECK, in quo ſunt *Corbach* Gymnaſio, & *Wildungen* acidulis nobiles: & NASSAU, cujus ſunt *Dillenberg* munimentis ſuis, *Herborn* Gymnaſio, & *Wisbaden* thermis nobiles: & HANAU ab urbe hujus nominis munita dictus. Inter Haſſiam quoque & Franconiam eſt FULDENSIS Abbatia, cujus *Fulda* metropolis eſt & ſedes Abbatis.

Ex Haſſia WESTPHALIAM adimus, in qua Epiſcopales urbes *Monaſterium* (Münſter) & *Oſnabruga* pace Germaniæ 1648. nobiles. *Paderborn* quoque Epiſcopi ſedes eſt: *Minden* vero principatus nomine Brandenburgico adſcripta. Præterea hîc ſunt *Suſatum* (Soeſt) & *Tremonia* (Dortmünde) Gymnaſiis clara oppida: *Herford*, *Bilefeld*, *Unna*, *Lippia*, *Hammeln*, *Wartburg*, & Comitatus Schauenburg / in quo *Rindelium* Academia extinctâ Comitum proſapiâ ceſſit Haſſo-Caſtellanis. Ul-

Ulterior verſus Rhenum eſt Ducatus JULICH, cujus caput Jülich munitum oppidum, & *Aquisgranum* (Aach / Aken) Caroli M. aula & multorum Imperatorum inauguratione illuſtris ac libera civitas: Ducatus CLIVIÆ, cujus metropolis *Cleve*, dein *Weſel* nuper a Gallis capta & iterum deſerta, ut & fortalitium Schenckenſchantz in Rheno, pariter a Gallis nuper occupatum iterumque relictum: Ducatus BERG, in quo præcipua urbs eſt *Düſſeldorf* ſedes Palatini Neoburgici.

Sequitur Saxonia Inferior, inque ea Ducatus BRUNSVICENSIS & LUNEBURGENSIS, qui iterum in tres Principatus hodie dividitur, 1. Wolferbütanum, ubi Wolffenbüttel / Ducum & incomparabilis Bibliothecæ Auguſtæ ſedes: *Brunſuicum* a Ducibus ſuis 1671. in ordinem redactum: *Helmſtadium* Julia Academia inſigne. Lüneburgen-

SEM, ubi *Lüneburg* Gymnaſio & ſalinis dives urbs: *Bardewick* oppidum olim magnum, ſed 1090. deſtructum: *Haarburg* munimentum ad Albim: & *Cella* Ducum ſedes. CALEMBERGENSEM, in quo *Hanovera*, Ducis ſedes, *Göttingen*, &c. Ad hunc hodie ſpectat quoque Principatus *Grubenhagenſis*, in quo *Oſteroda*, *Einbeck*, & argenti fodinæ am Hartz. *Eiſfeldia* vero in Thuringiæ confinio provinciam, cujus caput eſt *Duderſtadt* munitum oppidum, ad Moguntinum hypothecæ titulo tranſiit. *Hildesheim* & *Halberſtadt*, vicinæ ſunt ditionibus Ducum Brunſuicenſium, utraque vero Epiſcopatu gaudet: & *Goslaria* eſt libera Imperii civitas.

In THURINGIAM tranſimus, cujus præcipua urbs eſt *Erfordiam*, Academia antiqua. Deinceps inclytæ ſunt Ducum ſedes *Vinaria*, *Gotha*, *Iſenacum*, *Jena*, & hæc quoque Academia oppido celebris, Gotha vero

Gymna-

Gymnaſio. Præterea hîc ſunt *Langenſalz*, *Weiſſenſee*, *Sangerhuſa*, & recens munitum caſtellum *Heldrungen*: *Budſtadt*, *Salfeld*; & imperiales quoque civitates *Northauſen*, *Mülhauſen*, utut ad Circulum Saxoniæ Inferioris referantur. Adjacet Comitatus Schwarzburgicus cum oppidis ſuis *Rudelſtadt*, *Arnſtadt*, *Sundershauſen*: & Dynaſtia Ruthenica cum oppidis *Gera*, Gymnaſii ſede, *Schleiza*, *Grez* & *Lobenſtein*, & quæ nunc a Saxonicis poſſidetur, *Plavia*. *Ortruf* vero eſt ſedes Comitum de Hohenloe.

Nunc proxima eſt MISNIA, cujus caput *Lipſia* mercatu & Academia claret: *Dreſda* Electoralis ſedes probe munita: *Freiberg* Electorum ſepulcra habet: *Torgau* olim Electorum regia: *Grimma*, *Miſnia* oppidum & *Porta* tres ſcholas Electorales habent: *Martisburgum* & *Ciza* Ducum hodie ſedes, etiam Epiſcopales urbes: *Numburgum* nundinis non

ignobile: *Altenburgum* Ducum quoque ſedes eſt.

Poſtea ſunt *Zwickau*, *Chemniz*, *Anneberg*, *Schneeberg*, *Lützen* cruenta victoriâ Suecorum 1632. nobilitatum oppidulum: *Weiſſenfelſa* Gymnaſio Auguſtéo 1664. & brevi poſt Regimine Ducali ornata. Sunt & alia Miſniæ oppida *Eulenburg* & *Wurzen*, ad Muldam: ad Albim vero *Muiberga*, ad quam Johannes Fridericus Elector captus eſt, & in finibus Miſniæ caſtrum inexpugnabile Königſtein.

Propinqua Miſniæ eſt SAXONIA SUPERIOR, in qua *Halla* Adminiſtratoris Magdeburgici ſedes ſalinis dives: & *Witteberga* munitum, oppidum Academia clarum: Dynaſtia Querfurtenſis, ubi *Querfurt*, quæ novo nunc Principatui Saxonico (Fürſtenthum Sachſen-Querfurt) nomen dat: Comitatus quoque Mansfeldenſis, in quo eſt *Eisleben*, Lutheri

pa

patria, & arx *Mansfeld*. Denique Abbatia Quedlinburgenſis, ubi *Quedlinburg* ſedes Abbatiſſæ. Principatus quoque ANHALTINUS huc ſpectat, in quo ſunt *Anhalt*, *Deſſau*, *Köthen*, *Bernburg*, *Serveſta* (Zerbſt) omnes Principum ſedes, poſtrema etiam gemino Gymnaſio inſtructa. His vicinus eſt Archiepiſcopatus Magdeburgicus ejusque metropolis *Magdeburgum* 1631. horribili ſævitia a Cæſareanis vaſtatum. Prope eſt Cœnobium *Bergen*, in quo Formula Concordiæ fuit elaborata: & Comitatus Barby cum oppido *Barby* nunc in ditione Ducum Saxo-Hallenſium.

Excipit Marchia BRANDENBURGENSIS diſtincta 1. in Marchiam Veterem, ubi *Stendel*, *Soltwedel*, *Garleben*, &c. 2. Mediam, in qua *Brandenburg*, *Berlin* ſedes Electoris, *Francofurtum* ad Oderam Academia & nundinis celebre: *Spandau* munimentum validum. *Ratenau* nuperri-

me recuperata. 3. Novam, ubi *Cüſtrin* fortalitium famoſum, *Driesen* in Poloniæ finibus. 4. Ukeram, cujus ſunt *Prenzlow*, *Havelberg* quondam Epiſcopatu inſignis, & *Witſtock* prælio 1636. inter Suecos & Saxones illuſtre oppidum.

E Marchia in SILESIAM digredimur, quæ vel Superior eſt, cujus oppida ſunt *Teſchena*, *Oppavia* (Troppen) *Carnovia* (Jägerndorff) *Ratibor*, *Oppeln*, ſingula ſimul Ducatuum nomina. Inferioris ſunt Vratislavia (Breßlau) caput omnis Sileſiæ & emporium: *Brieg*, *Niſſa*, *Münſterberg*, *Olſſe*, *Schwidnicium*, *Jaur*, ubi thermæ ſunt Hirſchbergenſes: *Lignitz* munitum oppidum, Ducum ſedes, *Glogau*, *Sagan*, *Croſna* Brandeburgico parens. Singulæ & hæ urbes ſingulorum ſunt Ducatuum nomina.

Sileſiæ adjacet ex altero latere MORAVIA, ubi metropolis eſt *Olmitz*, deinde *Kremeſier*, *Brinn*: ex alte-

altero LUSATIA in Superiorem, & Inferiorem diviſa. Et illam quidem conſtituit, Hexapolis, die Sechs-Städte / nempe *Budiſſa* (Bautzen), *Görlitz, Sittau, Kamiz, Luben, Guben*, quorum tria priora ſunt ſatis lauta, oppida & optimis ſcholis inſtructa.

Luſatiam contingit BOHOEMIÆ regnum, cujus caput eſt *Praga*, regia ſedes & Academia: poſt hanc *Pilſa, Egra* Wallenſteinii cæde 1634. & delectibus Cæſareis hodie clara: *Thabor* arx Huſſitarum; Budweiß / & *Thermæ Carolinæ* ſeu Carlsbad / &c.

Tandem ad Oceanum converſi abſolvimus plagam Germaniæ ſeptentrionalem. Proximus Belgio eſt Comitatus Embdanus ſive Friſia Orientalis, nunc principatus nomine aucta, cujus caput *Embda* libertatem, præferens, deinde *Aurik* Principum ſedes: Et Comitatus Oldenburgicus, in quo *Oldenburg, Jever*. Vicina his eſt *Bremæ* ad Viſurgim empo-

 rium,

rium, Gymnaſio quoque nobilis: & inter Viſurgim & Albim ditio Suecia ad Bremenſem Archiepiſcopatum, pertinens, ubi Carlſtadt noviſſime condita, *Boxtehude*, & præprimis *Stade* Suecici Regiminis ſedes: Bremerförde, arx Suecica. Sed omnis hæc ditio ſibi nunc magnopere ab armis Confœderatorum timet.

Poſt Albim aperit ſe HOLSATIA in Cherſoneſo, ubi urbs *Schleſwig* cum arce *Gottorf* Ducum ſede, *Kilonium* nova Academia, *Plön* & Sonderburg utraque Ducum ſedes, *Flensburg*, *Tönninga* munimentum. Ad Albim eſt *Glückſtadt* urbs Danica, probe munita: & *Hamburgum* emporium Germaniæ nobiliſſimum, Gymnaſio etiam celebre.

Proxime aditur ex hac regione Ducatus MEKLENBURGENSIS, in quo ſunt *Swerin* & *Güſtrow* Ducum utraque ſedes. *Roſtock* Academiâ claret: *Wiſmar* portu prædita

nunc

nunc Suecis paret. Adjacet *Lubecca* emporium clariſſimum & libera Imperialis civitas. Nec longe abeſt Ducatus Saxo-Lauenburgicus ab oppido *Lauenburg*, quod ad Albim eſt, appellatus.

POMERANIA attingit Ducatum Meklenburgicum, inter quem & Oderam eſt Pomerania *Citerior* cum inſula *Rugia*, ab Odera ad Pomerelliam & Poloniam *Ulterior*. In Citeriore ſunt *Stralſund*, quæ obſidionem 1628. fortiter ſuſtinuit, portu prædita, ſicut & vicinum oppidum *Wolgaſt*: *Gripswald* vero Academiam habet. Metropolis eſt *Stetin* Gymnaſio & mercatu nobilis ad Oderam. Ulterioris Pomeraniæ ſunt *Dam*, *Colberg* munita urbs & portus; præterea *Stargard*, *Stolpe*, *Camin*, &c. Citerior omnis, & ex Ulteriore *Dam*, *Garz* & inſula *Wollin*, ſunt Suecorum; reliqua Electoris Brandenburgici. Poſt hanc eſt BORUSSIA, in eaque

Regiomontum Academia, &c. de ceteris in Poloniæ regno dicetur.

In Germaniæ finibus etiam ſunt HELVETII, in XIII. Cantones diviſi, e quibus IIX. urbes ſunt, nempe *Baſel*, Academia inclyta: *Tigurum* (Zürch) etiam literarum domicilium: *Berna* potens civitas: *Lucern*, *Schafbuſa*, *Friburgum*, *Soldurn*, *Zug*. Hîc etiam ſunt *Conſtantia* (Coſtnitz) & *Brigantium* ad lacum, qui inde Brigantius (Bodenſee) appellatur: Prior (Coſtnitz) Concilio famoſa & ſupplicio Johannis Huſſi. Tandem etiam *Walleſii* ſunt in Helvetiæ confinio a vallibus, quas inhabitant, dicti, eorumque oppida ſunt *Sedunum* (Sitten) & *Martinach*.

Flumina Germaniæ ſunt *Danubius* (Iſter verſus Orientem dictus) *Rhenus*, *Albis*, *Viſurgis* (Weſer) *Mœnus*, *Viadrus* (Oder / olim Suevus) *Sala*, *Nicer*, *Lechus*, *Lanus*, *Ænus*, *Amiſia* (Ems) *Havela*, &c.

CA-

CAPUT IX.

De Regno Daniæ.

DAniæ regnum ex multis provinciis & inſulis conſtat. Continet enim præter *Daniam* proprie dictam regnum *Norwegiæ* & *Islandiam* inſulam, etiam litora *Grönlandiæ* cognita.

Ceſſat hîc ferme Geographia vetus, quod qui ultra Cimbros, id eſt, inferiores Danos erant, Sueci, Norwegi, Moſci, etiam Poloni, vel ignoti veteribus, vel uno *Sarmatarum*, *Scytharumque* & magna ex parte *Gothorum* nomine appellati fuere.

I. *Dania proprie dicta.*

HUjus eſt I. Inſula *Selandia*, ubi metropolis eſt *Hafnia* ſive Koppenhagen/ Regum ſedes munitiſſima, emporium itidem & Academia illuſtris. Deinde *Rotſchild* regum ſe-

pulchris & pace nupera Dano-Suecica celebre oppidum: *Fridrichsborg* regum ſeceſſus æſtivus: *Helſignör* ad fretum Danicum (Sund) portus inclytus, ubi vectigalia penduntur. Arx *Cronenburg*, qua fretum hoc lucroſum defenditur. *Som* Academia equeſtris.

II. *Jütlandia* ſeu *Cherſoneſus* Cimbrica præſertim ſeptentrionalis (nam meridionalis magnam partem ad Holſatiam pertinet) ubi *Ripa*, *Arahuſen*, *Viburg* & *Aalburg*, omnes olim ſedes Epiſcopales. Præter hæc *Coldinga*, *Fridrichsöde*. Terminus Jütlandiæ ſeptentrionalis eſt fluvius *Ripa* in fretum Mittelfarth decurrens.

III. *Scandinavia* ſive Scandia, quam veteres falſo inſulam putabant, ſed continens eſt, & cum Suecia cohæret. Partes ejus ſunt tres: 1. Halland, cujus metropolis eſt *Halmſtede*. 2. Bleking in litore maris

Bal-

Baltici, ejusque caput eſt *Chriſtianopolis*. 3. Inter has media eſt Scania ſive Schonen/ cujus oppida ſunt *Coronia* (Landskron/) *Elſenburg*: primarium vero eſt *Londen*, nuper a Suecis (ad hos enim Rotſchildenſi pace pervenit Scania) Academia ornatum antea quoque Archiepiſcopalis ſedes.

IV. Inſulæ ad Daniam pertinentes ſunt 1. *Fünen* freto a Jütlandt diſtincta, in qua oppidum Mittelfarth/ quod freto nomen dedit. 2. *Langeland*, 3. *Laland*, 4. *Falſter*, &c. Superiori bello notiſſimæ. Præprimis in freto Cronenburgenſi inſula *Hüene* (Ween) arce *Urániburgo* & obſervationibus Tychonis de Brahe ſumme nobilitata fuit.

II. Norvvegia.

VAſta & absque multis urbibus regio eſt proventu lignorum ad fabricandas naves, & piſcaturâ

dives. Caput regni eſt *Bergen* emporium portu nobile. *Nidroſia* (ſive Drontheim) olim regia ſedes erat. *Opslo* vel *Chriſtianopolis* emporium, *Stafanger*, &c. *Bahus* vero munimentum in confinio Sueciæ Rotſchildenſi pace Suecis conceſſum eſt. Norwegiæ adjungitur pars Finnmarchiæ meridionalior: ſeptentrionalis vero eſt Suecorum, quamvis *Wardhuſium* in inſula extremi ſeptentrionis *Warda* Danorum eſſe perhibeatur.

III. Islandia.

HAbetur pro veterum *Thule*, quæ proprio epitheto a Poëtis *ultima* dicitur. Habet montem ignivomum *Heclam*, urbes *Holam*, *Schalholt*, ubi Epiſcopi & ſcholæ. Paſcua hic ſunt uberrima & piſcoſum mare.

CAPUT X.

De Regno Sueciæ.

Suecia (Schweden) a Norwegia perpetuo montium juge diſtinguitur: ab ortu habet mare Balticum & ſinum Botnicum: etiam poſt hunc ſinum in longitudinem ſinus Finnici ab utroque latere hodie extendit ſuas ditiones. Ejus eſt a ſeptentrione in meridiem progrediendo.

I. Pars *Finnmarchiæ* ſeptentrionalior, cum *Schrickfinnia*.

II. *Lappia* occidentalis: nam orientalis eſt Moſcorum cum metropoli *Cola*.

III. *Botnia*, cujus emporium *Tornia* ad extremum ſinum Botnicum eſt. Atque hæ omnes horridæ atque frigidiſſimæ regiones.

IV. *Gothia* verſus Auſtrum eſt & cultior terra, cujus incolæ *Gothi* ſine

du-

dubio ex ea gente ſunt, quæ Romanum imperium Conſtantini M. tempore, & ſequenti, graviſſime concuſſit. Caput provinciæ & totius regni eſt *Holmia* (Stockholm) ad mare Balticum, egregie munita: Deinde *Upſal* Academiâ & ſepulcris Regum ſplendida. Porro *Nicöping*, *Calmar* portubus & munimentis, & *Aroſia* argenti fodinis claræ urbes.

V. *Finnia* poſt ſinum Botnicum in orientem porrigitur, ubi *Abo*, ſedes Epiſcopalis, eſt, & *Wiborg* emporium.

VI. *Livoniam* (Lieffland) quoque Sueci tenent, ubi metropolis *Riga* eſt, colonia Bremenſium, mercatu & Gymnaſio nobilis. Deinde *Revel* ad ſinum Finnicum non minus celebre emporium: *Dorpt* quoque ſeu *Dorpatum* Academia a Rege Guſtavo Adolpho ornatum.

CAPUT XI.

De Regno Poloniæ.

POloniæ fines ſunt ab ortu Boryſthenes (*Dniper*) diſtinguens a Moſcovia: a ſeptentrione mare Balticum & Curlandia: a meridie juga Carpati, quibus ab Hungaria ſeparatur: ab occaſu Sileſia, Brandeburg & Pomerania.

Partes ſeu provinciæ regni Polonici ſunt,

I. *Polonia Minor*, quæ proxima Moraviæ & Sileſiæ, habetque *Cracoviam* caput regni & Regum ſedem ac Academiam. Poſtea *Lublin* mercatu nobilis eſt: *Racovia* Photinianorum antehac nidus, unde Catecheſis Racovienſis dicta: *Sendomierz*, &c.

II. *Polonia Major*, ubi *Poſna*, Epiſcopalis ſedes, emporium & Gymnaſium: *Gnezna* (Gnieſen) ſedes primatis Epiſcopi & interregni tempore proregis, etiam emporium. *Petrico-*

via

via tribunali inclyta: *Warſovia* Comitiorum locus, ſed hanc alii novæ provinciæ Mazoviæ attribuunt.

III. *Lithuania* Magni Ducatus titulo regno Poloniæ acceſſit Jagello Magno Duce 1386. in regem electo. Hîc *Vilna* (Wilde) provinciæ caput eſt & Academia. Porro *Kiow* ad Boryſthenem huc quoque refertur.

IV. *Volinia* (Wolin) in qua oppida *Lutzo* & *Woldemierz.*

V. *Podolia*, paſcuo dives, cujus caput *Kaminick* propugnaculum hactenus contra barbaros: at nuper 1672. a Turcis occupatum: Præterea *Bar*, *Zbaras*, *Braclaw* Podoliæ oppida ſunt.

VI. *Ukraine*, paſcuo dives provincia inter fluvios Bog & Dniper poſt Podoliam, Tartarorum incurſionibus maxime oppoſita ſine tamen claris oppidis, præter *Czechryn* præſenti bello notum, & ſi quæ alia. Podoliam alii cum parte Ruſſiæ Nigræ vocant Ukraine.

VII. *Ruſ-*

VII. *Ruſſia Nigra* (ſeu Rubra: nam *Alba* eſt Moſcovia) inter Poloniam Minorem & Podoliam ſita eſt, ejusque caput *Leopolis* (Lemberg) munitum emporium: alia oppida ſunt *Premislia*, *Haliez*, *Zborow*, & quod nunc captum a Turcis dicitur, *Podjabec*, ſeu Podocum, non male munitum.

IIX. Præterea Polonus habet partem Germaniæ nempe *Boruſſiam Regiam*, in qua *Gedanum* (Dantzig) emporium clariſſimum: *Thorunũ* colloquio celebre: *Elbingen* portu præditum. Singula hæc oppida ſingula Gymnaſia. *Marienburg* habet munitiſſimam arcem, olim Magiſtrorum ordinis Teutonici ſedem. Ducalis vero *Boruſſia*, in qua Königsberg Academia, eſt Electoris Brandenburgici. Inter Boruſſiam & Livoniam eſt *Samogitia*, ſed nullis oppidis clara. Memoratur quidem *Roſiene*, quamvis parum celebris ſit.

* In tutela Poloni Regis fuit etiam Princeps *Curlandiæ* & *Semigalliæ*: Curlandiæ metropolis eſt *Goldingen*, deinde *Wend*: Semigalliæ *Mitow* ſedes Principis.

Flumina ſunt *Viſtula* (Weixel) *Bog*, *Dnieper* (olim Boryſthenes) *Nieſter*.

CAPUT XII.

De Hungaria & Veteri Pannonia.

HUngaria a ſeptentrione montis Carpati jugo, ab ortu Auſtria & Moravia: a meridie Dravo flumine: ab ortu Tranſilvania & Walachia diſtinguitur.

Pannonia Vetus.

OLim ante Hunnorum irruptiones *Pannonia* dicebatur: *Hungaria* enim nomen eſt ab Hunnis. Non vero vetus Pannonia eſt prorſus

ſus eadem cum noſtra Hungaria, ſiquidem ultra Danubium non aſſurgebat magnâ ſic Hungariæ parte excidente, quæ Germania Magna veteribus dicebatur. Ab occaſu in quandam Auſtriæ partem incurrebat: a meridie ad Illyricos montes pertingens Slavoniæ, Boſniæ & ex parte Croatiæ regna complectebatur. Ab ortu habebat Mœſiam & Daciam, id eſt, Tibiſcum fluvium, & confluentem Savi & Danubii.

Partes Pannoniæ erant 1. *Superior Pannonia*, quæ & *Prima Conſularis* dicebatur, & Noricum, Hiſtriam ac Liburniam attingebat: 2. *Inferior* ſeu *Secunda Conſularis*, quæ ad ripam Danubii longe deſcendit ad Mœſiæ terminos. Ergo Superior & Inferior Pannonia olim longe alia dicebatur ratione, quam hodie Superior & Inferior Hungaria. Ibi enim Superior erat occidentalis: Inferior orientalis cum declinatione in meridiem: hodie

die vero Hungaria Superior eſt ſe-ptentrionalis ad Carpatos montes: Inferior meridionalis.

Utramque Pannoniam interluunt duo præcipue magni fluvii, *Savus* Illyricis montibus propior; & *Dravus* ulterior. Inter Savum & Dravum interjecta regio *Pannonia Interamnia*, *Riparienſis*, aut etiam *Valeria* vocabatur.

Antiquæ urbes Pannoniæ Superioris erant *Segeſta* ad inſulam Savi in Croatia, Auguſti Cæſaris contra Dacorum incurſiones munimentum: *Strido*, Hieronymi patria prope confluentes Muri Dravique: Inferioris *Sirmium* magna civitas, Concilio contra Photinum hîc coacto, ſed minus orthodoxo nobilis. *Taurunum* ſive Griechiſch Weiſſenburg.

Hungaria Nova.

TErminos ſupra diximus & diviſionem. Superioris Hungariæ ſunt

ſunt Preßburg (*Poſonium*) regia hodie & metropolis poſt amiſſam Budam: *Tyrna*, *Neutra*, *Neuſol*, *Altſol*, *Onoth*, omnia munita oppida. *Neuhuſelium* 1663. a Turcis expugnatum: *Caſchovia* locus Comitiorum: *Eperies* nuper Gymnaſio florens, nunc vel ſeditione vel religionis æmulatione vaſtata. *Leutſchovia*, quæ cum Eperie & aliis ad montes Carpaticos ſitis vulgo die Bergſtädte appellantur. *Tokay* probe munita vini generoſi patria: *Zatmar* munimentum in Tranſilvaniæ finibus. Firmiſſimum vero, heus olim! Chriſtiani orbis propugnaculum *Wardein* 1660. ereptum a Turcis fuit, ſicut antehac *Erla* 1596.

Hungariæ Inferioris ſunt *Caniſia* Turcica urbs bene munita noſtris 1600. erepta: 1664. fruſtra obſidione repetita. *Neuſerinwar* propugnaculum a Comite Serini Caniſiæ oppoſitum; ſed inſpectante noſtro exercitu a Turcis 1664. deletum. *Komorra* &

Rab

Rab valida Chriſtianorum munimenta. Præterea *Sigeth*, *Veſprin*, *Pappa*, & *Owar* (Ungariſch-Altenburg) ad inſulam Danubii, quæ Schütte vocatur. Sed *Gran* (Strigonium) ſedes Archiepiſcopalis, *Alba Regalis* (Stuel-Weiſſenburg) inauguratione & ſepultura Regum quondam clara, & *Buda* (quæ in oppoſita ripa habet *Peſtum*) Regia olim ſedes, nunc Ofen dicta, 1543. a Turcis occupatæ ſunt. *Quinque Eccleſiæ* nupero bello a noſtris direptæ: *Ezeck* ponte inſignis eodem bello a noſtris cremato. *Colozza* ſedes Archiepiſcopalis, *Tibiſcum*, *Temeſwar*, *Alba Græca* (hodie *Belgrad*, Griechiſch Weiſſenburg) in Boſniæ & Serviæ confinio.

Sclavonia, Boſnia, Croatia.

HÆc quoque regna Pannoniæ nomine olim veniebant. Inter Savum & Dravum eſt *Sclavonia* (Wendiſchland) in qua *Kobreniz* munitum

nitum oppidum, *Gradiskia*, *Zagabria*, *Poſega*, &c. Maximam vero partem Turcæ poſſident. Verſus ortum continet *Raſciam*, cujus incolæ *Raſci* (die Rätzen) ubi *Barka*, *Simach*, olim Sirmium.

Boſnia eſt inter fluvios Unam, Savum, Drinum & Bebios montes, hoc eſt, inter Croatiam & Serviam, Turcis tota ſubjecta. Oppida habet *Jayczam*, *Varboſinam*, &c. nomen vero a *Boſna* fluvio: & *Wibiz* Croatiæ urbs a Turcis capta jam huc refertur.

Ante Boſniam verſus Auſtriacas provincias eſt *Croatia* regni titulo inſignita, ſub poteſtate Domus Auſtriacæ. Metropolis eſt Carlſtadt. Attingit Marchia Vinidorum (Windiſch-Marck) Hiſtriæ proxima. Utramque gens Sclavonica incolit. Olim hic ſedem habebant *Japydes*.

Fluvii Pannoniæ & Hungariæ ſunt *Danubius* (*Iſter*) *Dravus*, *Murus*, *Waga*,

Savus, Una, Boſna, Tibiſcus, vulgo die Teiſſe / &c.

CAPUT XIII.

De Veteri Dacia, id eſt, Tranſilvania, VValachia, Moldavia.

DAcia Iſtro, Tibiſco & Carpaticis montibus incluſa eſt. Proxima Tibiſco dicebatur *Dacia Ripenſis*, quæ hodie ad Hungariæ regnum pertinet circa Wardein, Temeſwar, &c. Poſt eam fuit *Dacia Mediterranea* ſeu *Gepidia*, nunc *Tranſilvania* cum parte Walachiæ. Denique verſus oſtia Iſtri *Dacia Alpeſtris* fuit, cujus ſuperior & ſeptentrionalis pars hodie Moldavia eſt: inferior partem Walachiæ abſolvit. Supra Dacos erant Scythæ & Sarmatæ.

Tranſil-

Tranſilvania.

TRanſilvania, hominibus noſtris Siebenbürgen dicitur, eſtque maxima pars Daciæ Mediterraneæ, & multa habet Romana ex ſeculo Trajani monumenta. Metropolis & regia Decebali *Sarmizogethuſa* poſtea *Ulpia Trajana* & *Auguſta Dacica* vocata fuit. Præterea erant *Zeugma* & *Romulianum*. Nunc his locis ſunt *Cibinium* (Hermanſtadt) caput provinciæ: *Claudiopolis* (Clauſenburg) Photinianorum receptaculum: *Alba Julia* (Weiſſenburg) Gymnaſio Principis quondam, nunc *Enyedinum* translato, clara: *Stephanopolis* (Kronſtadt) & *Zlatna* Opitii carminibus, quam ſuis aurifodinis, nobilior.

VValachia & Moldavia.

POſt Tranſilvaniam Walachia & Moldavia eſt, Alpeſtris olim Dacia: illa ad meridiem; hæc ad ſepten-

ptentrionem. Walachiæ caput & ſedes Waiwodæ ſeu Principis (qui & Hoſpodar appellatur) eſt *Targowiſco*: Moldaviæ vero ducis vel Waiwodæ ſedes eſt *Czukaw*: reliqua utrobique oppida ſunt obſcura & barbara.

CAPUT XIV.

De Illyrico.

ILlyris ab Hiſtria ad Macedoniam inter Adriaticum mare & propria montium juga Italiæ parallela ſita eſt. Montes iſti variis in locis varie vocantur *Albii*, *Bebii*, *Cemunii*, *Ardii*, uſque ad transverſa *Scardi* juga in Macedoniæ finibus.

Illyris Antiqua.

HAbebat olim duas partes per *Titium* flumen diſtinctas, *Liburniam* Hiſtriæ contiguam, & *Dalmatiam* Macedoniæ vicinam. Liburnia

nia ab oppido *Liburno* dicta nomen dedit *Liburnis navibus*, ut Appianus initio Illyricorum auctor eſt, quia hæc gens navium uſu eximia erat. Urbs *Scardon* hîc a Strabone commemoratur & inſulæ *Abſyrtides*.

Dalmatia erat reliqua Illyris metropolim & navale habens *Salonam*, & oppida *Dalminium*, *Epidaurum*, *Niniam* ac *Sinotium* pleraque ab Auguſto deleta. Inſulæ hîc ſunt, *Pharia* Pariorum colonia, *Corcyra Nigra*, *Melitene*, &c.

Illyris Nova.

Hodie tota Illyris *Dalmatia* dicitur: Vetus vero Liburnia *Comitatus de Jadera* ab urbe hujus nominis appellatur. In principio hujus (ferme in Hiſtria) eſt *Albona* Matthiæ Flacii Illyrici patria. Poſt hanc *Zara* (olim Jadera) *Zechna*, non obſcura oppida. *Scardon* vero eſt Turcici juris, cum cetera hujus tractus ſint

maximam partem in poteſtate Venetorum.

Dalmatiæ ſtricte dictæ urbes ſunt *Sebenicum*; *Spalatum* (prope veterem Salonam) emporium M. Antonii de Dominis Epiſcopatu quoque nobile: *Raguſa* (olim Epidaurus) ſui juris, niſi quod Turcis tributum pendit, emporium Turcicis mercibus celeberrimum: *Rizine* vel Rhiſo: *Scutari* (olim Scodra) in finibus Macedoniæ emporium Venetis a Turca ereptum: *Delminio*, &c,

CAPUT XV.

De Italia, & Vicinis Inſulis.

ITalia Supero & Infero mari, & Alpibus montibus circumſcribitur. Flumina ſunt *Padus* (Eridanus quoque & Po dicitur) *Atheſis* (Etſch) Tridentum præterfluens: *Varus*, *Macra*, *Arnus*,

Arnus, *Tiberis*, *Liris* (hodie Garigliano) *Vulturnus* in Inferum; at *Rubico*, *Metaurus*, *Æſis*, *Truentus Matrinus*, *Aternus*, *Auſidius* in Superum mare influunt: *Siris* & *Sybaris* in Sinum Tarentinum.

Italia Antiqua.

ILla pars Italiæ, quæ Alpibus vicina eſt, & Lombardiam, Stato di Milano, Venetorum ditionem, &c. comprehendit, Romanis propter incolas Gallos *Gallia Citerior* aut *Ciſalpina* vocabatur, perque Padum fluvium, qui mediam interluit, in *Transpadanam*, quæ ad mare Adriaticum vergit; & *Ciſpadanam*, quæ eſt ad Apenninum & Liguriam, dividitur.

Terminus hujus Galliæ ab occaſu præter Alpium juga eſt Varus fluvius, qui Liguriam a Narbonenſi Gallia diſtinguit, ad quem *Nicæa* ſita erat Maſſilienſium colonia, & contra inalpinas gentes propugnaculum.

Digitized by Google

Ab ortu vero variat terminus, non tam reſpectu Inferi maris, ubi ſatis certus Apenninus ejusque radices; quam Superi, ubi vel *Sena Gallica*, vel fluvius *Æſis*, vel fluvius *Rubico* conſtituitur.

Ipſis Alpibus inhærent Salaſſii, ubi *Auguſta Prætoria*: Cottii, ubi *Seguſia*: Taurini, ubi *Auguſta Taurinorum*. Ad Alpes maritimas eſt *Liguria* inter Varum & Macram fluvios, ubi nobilis urbs eſt *Genua* ad mare Liguſticum, *Vada Sabatia*, *Pollentia*, *Alba Pompeja*; Præterea portus *Herculis Monæci*, *Delphini*, & *Lunæ*: ſinguli autem hi portus oppida habebant non obſcura.

Mediterranea vero Gallia cis Alpes dividitur in *Ciſpadanã*, ubi amnis *Trebia* Annibalis victoria notus: *Claſtidium*, *Derton*, *Mutina* bello Mutinenſi contra Antonium geſto clara: *Bononia*, *Forum Livii*, & ad Adriaticum mare *Ravenna* ſedes Exarcho-

rum:

rum: *Ariminum*, initiis belli civilis Cæſareani & Concilio Chriſtianorum Anti-Ariano clarum: *Piſaurum*, *Fanum Fortunæ*, *Sena Gallica*, quæ terminus erat:

& *Transpadanam*, ubi *Ticinus* fluvius clade Rom. in Punico II. bello cognitus, cum oppido *Ticino*: *Vercellæ*, ubi Marius cum Cimbris conflixit: *Novum Comum* a Pompejo Strabone, & Julio Cæſare, ornatum: *Mediolanum* Inſubrum metropolis Ambroſii Epiſcopatu poſtea clarior facta: *Brixia*, *Verona* Catulli, *Mantua* Virgilii, *Patavium* Livii patria: *Aquileja* magna Urbs verſus Illyricum, patria Ruffini: *Tergeſtum* terminus Italiæ & Illyrici. Hanc Transpadanam colebant *Inſubres*, *Senones*, & *Veneti* antiquus populus vel ab Henetis Aſiæ, vel Venetis Galliæ profectus.

Italia reliqua ſive proprie dicta ad mare Inferum ſeu Tyrrhenum habet HETRURIAM, quæ & *Tuſcia* ap-

pellatur, & a Macra fluvio (alii Arnum malunt) ab Tiberis ferme oſtia porrigitur, per Tiberim eundem ab Umbria, Sabinis & Latio diſtincta. Antiquitus *Cluſium* Porſenæ regia erat ad fluvium Clanim, *Sena* præterea, *Volaterra* ab aquis æſtuantibus dicta *Fæſulæ* ad Apennini radices caſtris Catilinariis notæ, *Piſa*, *Luca*, & portus *Liburnicus*: Trans Clanim erat *Aretium*, lacus *Traſiménus* Annibalis victoria celebris. Inter hunc lacum & Tiberim eſt *Peruſia*, unde bellum Peruſinum Auguſti cum L. Antonio cognominatur, &c. Propius a Latio aberant *Faliſci* ſive *Falerium*, *Veji*, *Volſinium*, ex quibus anniverſarii hoſtes Romanorum prodibant: *Carè*, *Tarquinii*, *Ciminius* ſaltus, & fluvius *Cremera* Fabiorum clade notatus: *Centum cellæ* portus.

Inter Tiberim, Anienem fluvios, & promontorium Circæum fuit LATIUM ANTIQUUM, in quo fuit RO-

ROMA orbis domina, *Fidenæ*, *Antemnæ* primi Romanorum hoſtes: *Gabii*, *Tibur*, *Collatia* Lucretiæ caſtitate inſignis, *Præneſte* æſtivæ Romanorum deliciæ, *Bovillæ*, *Corioli*, *Aricia*, *Lanuvium*, *Sueſſa Pometia*. Etiam *Alba Longa* regia ſedes ante Romam conditam: *Forum Appii*, *Tuſculum*, ad quod Ciceronis Tuſculanum prædium fuit: *Lavinium* Æneæ, *Laurentum* Latini, *Ardea* Turni ſive Rutulorum regia. Ad mare *Oſtia* prima colonia & Romæ navale fuit: & *Antium*, quod roſtra & nomen dedit Romanorum ſuggeſtui. Fluvius *Tiberis* per ſe; *Aniene* vero caſtris Annibalis tertio ab Urbe lapide notus eſt.

NOVUM LATIUM ad fluv. *Lirim* extenditur, adjicitque *Norbam*, *Verulas*, *Fregellas*, *Arpinum* Ciceronis patriam, *Anxur* ſive Tarracinam, *Formias*, *Amyclas*, cum promontoriis *Circes* & *Cajettæ*. Latii incolæ erant

Digitized by Google

Latini, Æqui, Hernici, & ad mare Volſci: Arunci vero ad utramque Liris ripam habitabant: Auſones & Oſci partim in Latio Novo, partim in Campania.

Inter Latium & Umbriam erant Sabini, ubi *Cures* Numæ patria, *Reate*, *Ocriculi*, & fluvius *Allia*, ad quem Romani a Senonibus victi. Ad Sabinorum latus *Marſi* erant fax belli Socialis, quod inde Marſicum dicitur. Oppidum hic *Marrubium*, & lacus *Fucinus* a Claudio Cæſare emiſſus, Suet. c. 20.

A Liri ad Silarum fluvium in eodem litore eſt fertiliſſima CAMPANIA. In ambiguo hujus & Latii termino erant ad Lirim *Minturnæ* carcer C. Marii, *Sueſſulæ*: extra dubium vero Campaniæ ſunt *Capua* Annibalis Cannæ, *Neapolis*, etiamnum regia urbs: *Caſilinum* Annibalis obſidione clarum: *Puteoli*; *Nola*, ad quam Auguſtus Cæſar mortuus eſt:

Nu-

Nuceria, *Vulturnum*, *Cumæ*, unde Cumana Sibylla dicta, *Surrentum*, *Bajæ*, thermæ ſaluberrimæ, cum portu & promontorio *Miſeno Minervæ*, &c. Montes celebrantur *Veſuvius* ignivomus, *Maſſicus* vini ferax, & ager *Falernus* generoſi vini feraciſſimus.

Proximi Campanis poſt Silarum fluv. erant *Picentini*, Picentium forſan, qui ad Superum mare ſunt, colonia. Urbs eorum *Picentia* propter Annibalis ſocietatem a Romanis vaſtata fuit.

Hæc omnia ad mare Inferum. Trans Apenninum ad Adriaticum mare proxima Ciſalpinæ Galliæ eſt UMBRIA, ad quam, ſi Galliæ terminum Rubiconem fluv. conſtituas, pertinebunt *Ariminum*, *Piſaurum*, &c. quæ ſupra quoque vidimus: præterea in Umbria ſunt *Urbinum*, quod Ducatui poſtea nomen dedit, *Ancona*, & fluvius *Metaurus* Aſdrubalis internecione, qui frater Annibalis fuit, nobilitatus.

Porro Ager PICENUS inter Anconam & Aternum fluvium patet. Hic erant caſtella, *Firmum*, *Adria*, quod mari nomen dedit, *Truentum*, ad flumen ejuſdem nominis, *Aſculum* ſociali bello a Pompejo Strabone dirutum. Incolæ dicuntur *Picentes*, pico ave duce in has oras deducti. Hic quoque *Veſtini* populi inter fluvios Matrinum & Aternum: infra Aternum *Marrucini* & *Peligni* cum oppidis *Corfinio* & *Sulmone* Ovidii patria.

Hos SAMNITES excipiunt, quorum regio & urbs *Samnium* a Romanis everſa fuit. Erat quoque oppidum *Caudium*, ubi ad *furculas Caudinas* Romani intercepti & ſub juga miſſi ſunt.

Nunc APULIA ſe aperit, ubi *Luceria*, *Canuſium*, & *Cannæ* vicus clade Romanorum in II. bello Punico infamis. Pars Apuliæ ſunt *Hirpini*, quorum eſt *Beneventum* Orbilii plagoſi patria. Hîc Italia per ſinum Tarentinum

num in duos angulos dividitur, quorum alter ad Siciliam vergens habet LUCANOS, inter quos & Apulos ſita eſt *Venuſia* Horatii patria, ut ipſe, Lucanus an Apulus eſſet, dubitaverit. Urbes ſunt ad ſinum Tarentinum *Metapontum* Pythagoræ obitu & templo clarum: *Siris*, *Heracléa*, in qua Archias Poëta civis ſcriptus, *Sybaris*, qua deleta in eodem fere loco conditi ſunt *Thurii*, Græca colonia: *Velia* ſive Helia portus maris Inferi. Infra hos ſunt BRUTTII in extremo Italiæ angulo, ubi *Crotona* Pythagoræ ſedes; *Scyllacium*, *Lametia*, *Locri*, & *Rhegium* ad fretum Siculum cum ſcopulo *Scyllæ* fabulis famoſo, & promontorio *Leucopetra*, ad quod Cicero vento delatus fuit, cum Antonii crudelitatem metuens in Græciam trajicere conſtituiſſet.

Omnis hic tractus a Tarento ad Siciliam & in ipſa inſula latus orientale inter Pelorum & Pachynum *Ma-*

gna

Digitized by Google

gna Græcia propter Græcanicas colonias appellabatur.

Alter angulus diviſæ Italiæ CALABRIAM habet, quæ a Græcis *Meſſapia* & *Iapygia* fuit dicta, ubi *Brundiſium* eſt, portus in Græciam euntibus aptiſſimus: *Hydruntum*, hodie Otranto, portus non minus celebris. *Tarentum* vero ad ſinum Tarentinum eſt, potens urbs, quæ ipſi Romæ cum Pyrrho bellum fecit. Ceterum *Meſapiæ* quidam incolæ *Sallentini* fuere dicti.

Tandem Antiquæ Italiæ non vulgare ornamentum dabant *Viæ lapidibus ſtratæ*, e quibus nobiliores, & quidem a conditoribus ſuis denominatæ, fuerunt 1. *Via Appia*, quæ Româ Capuam ducebat & inde Brundiſium. 2. *Flaminia* per Hetruſcos & Umbros uſque Ariminum ſtrata. 3. *Æmilia* Flaminiam excipiens, & Arimino Bononiam uſque, & inde Aquilejam ferens. Erat & alia *Flaminia*, Scauri

opus,

opus, per Piſas, Lunam & Sabatos Dertona deducens. 4. *Aurelia* per Tuſciæ maritimam oram ad Piſas extenſa, quæ & *Conſularis* dicta fuit, & a reſtauratore *Trajana*. 5. *Valeria* a Tibure per Sabinos & Marſos Corfinium uſque munita. Inter Tibur vero & Romam erat *Tiburtina* via non minus eleganter ſtrata. Hæc de Viis potiſſimum ex Strabonis lib. V.

Italia Nova.

NOva Italia dividitur ſecundum varia dominia.

I. REGIS HISPANI, qui poſſidet 1. Lombardiæ majorem partem ſub titulo Ducatus *Mediolanenſis*. Urbes ibidem ſunt *Milano* (Mediolanum, Meyland) caput regionis: *Cremona*, *Como*, *Novara* Petri Lombardi patria, *Tortona* (Derton) &c. 2. Regnum *Neapolitanum* inde ab oſtio Truenti fluvii, qui in Piceno in Adriam

Adriam effunditur, ad Cabo di Spartivento, quod ultimum Bruttiorum eſt promontorium. Urbes hic ſunt *Napoli* (Neapolis) ſedes Proregis: *Nova Capua, Nocera, Salerno* Academia, *Sorrento, Amalfi* pyxidis nauticæ inventione clara, *Puzolo* (Puteoli) &c. & hæ omnes in Terra di Lavoro (quaſi Laboratoris) id eſt, in veteri Campania. Reliquæ provinciæ ſunt Baritanus Ager, (pars Apuliæ) in quo *Barium*: Ager Hydruntinus (Meſapia) ubi *Otranto* portus inclytus, *Brendiſi*: Baſilicata, (Lucania) in qua eſt *Policaſtro*: Calabria Superior ad Sinum Tarentinum, ubi *Taranto*: Calabria Inferior, (Bruttiorum ager) ubi *Conſenza, Reggio, Sciglio* in cervice Scyllæ ſcopuli, &c.

II. PAPÆ, qui poſſidet 1. Patrimonium Petri, partem orientalem Hetruriæ, ubi *Civita Vechia* (Centum cellæ olim) navale Pontificis, cum *Peruſia, Bolſena* (Volſinio) *Viterbio.*

2. Agrum

2. Agrum Romanum, ſeu vetus Latium, ubi *Roma* eſt, Pontificis ſedes, *Tivoli* (Tibur) *Pilaſtrina* (Præneſte) *Fraſcati* (Tuſculum) *Aquinum* Thomæ Aquinatis patria, &c. 3. Ducatum Spoletanum, ubi *Spoleto*, *Fuligno*, *Aſiſium*: 4. Ferrarienſem, cujus metropolis eſt *Ferrara*, Academia. 5. Marchiam Anconitanam (partem Umbriæ & Piceni) in qua ſunt *Ancona*, *Loreto*, (Maria Lauretana) *Peſaro* (Piſaurum) & *Sinigaglia* quaſi Sena Gallica, &c. 6. Romaniolam, cujus ſunt *Ravenna*, *Rimino* (Ariminum) *Bologne* (Bononia) antiqua Academia. 7. *Beneventum* in regno Neapolitano ſitum.

III. DUCUM, e quibus ſunt præcipui Magni Duces Florentini, quorum metropolis & aulæ ſedes eſt *Florentia*, deinde *Sena* & *Piſæ* ambæ Academiis ornatæ urbes, *Livorno*, portus & emporium: *Coſmopolis* munita urbs (a Coſino conditore dicta) in

in parva inſula Tuſciæ. Sunt & alii Ducatus, *Mantua, Parma, Modena*, a ſingulis urbibus nominati. Sabaudi quoque Duces in parte Piedmonti Italica habent *Turino* (Auguſtam Taurinorum) aulæ ſedem & Academiam: *Aoſta* (Auguſtam Prætoriam) &c.

IV. RERUMPUBLICARUM, & quidem

1. *Venetæ*, quæ poſſidet Hiſtriam, cujus caput eſt *Juſtinopolis*, poſt hanc *Pola*, &c. Deinde Forum Julii (Friaul) ubi *Udene* (Vedinum) *Civita di Friuli*, *Trieſte* (Tergeſte,) *Aquileja*, abſque tamen priſtino ſplendore, & *Palma* perfectiſſimum artis Fortificatoriæ exemplar. Porro Marchiam Tarviſianam, ubi *Treviſo* nomen regioni largiens, *Venetia* ſplendidiſſima urbs in inſulis extremi ſinus Adriatici: *Padoa* (Patavium) Academia florens: *Verona, Vicentia* nobiles urbes. Deniq; Lombardiæ partem, in qua ſunt *Brixia, Crema*, &c.

2. *Ge-*

2. *Genuenſis* in litore maris Liguſtici. Hujus eſt *Genua* urbs ædificiis ſuperba: *Savona* (Vada Sabatia) *Final*, *Albenga*, *Cabo Levanto*, *Seſtri* (Serezena) fortalitium in Tuſciæ finibus, & tota inſula *Corſica*.

3. *Luccenſis*. Urbs enim *Lucca* pariter libera eſt, patria Xantis Pagnini, ſed exiguo gaudet territorio.

Inſulæ Italicæ.

I. SICILIA, *Trinacria* olim propter tria promontoria *Pelorum*, *Pachynum*, *Lilybæum* dicta, nec non *ſuburbana provincia*, quod Romæ admodum vicina erat. Ab Italia enim tantum freto diſtinguitur, quod *Scylla* rupe & *Charybdi* voragine famoſum eſt. Hodie regni nomine, & quidem Hiſpanicæ ditionis, claret, ut ut ſeditioſi Meſſinienſes Gallicum dominium hoc & ſuperiore anno præoptaverint.

Digitized by Google

Caput inſulæ olim fuere *Syracuſæ* ad mare Ionium, ſedes tyrannorum, a Romanis bello Punico II. expugnatæ. Poſt has *Meſſana* vicina freto Italiæ & Charybdi, colonia Meſſeniorum Peloponneſi, cujus cives etiam Mamertini dicebantur. In eodem tractu, inter Pelorum ſcilicet & Pachynum promontoria, eſt *Catana*, *Leontium*, *Elorus* & mons ignivomus *Ætna*. A Pachyno ad Lilybæum promontorium ſunt *Camerina*, *Geloi* campi, *Hybla*, *Agrigentum* emporium, *Sicanii*, *Selinuntii* & oppidum ipſum *Lilybæum*, a quo non procul abſunt inſulæ *Ægates*, ad quas commiſſo navali prælio finis impoſitus fuit Romanorum virtute bello I. Punico. Inde ad Pelorum ſunt *Drepanum*, portus probe munitus, *Eryx* arci impoſita, *Ægeſta* (Segeſta) *Panormus* Romana colonia & portus, *Himera*, *Tyndarium*: Etiam *Mylæ* cum *Naulocho* victoria Auguſti adverſus

Sex.

Sex. Pompejum celebres. In mediterraneo ſunt *Centuripe*, *Enna* raptu Proſerpinæ & Cereris templo famoſa.

Romani inſulam bipartito regebant miſſis in eam duobus Prætoribus totidemque Quæſtoribus, quorum alter Syracuſis, alter Lilybæi ſedebat. Ipſe Cicero fuit Quæſtor Lilybætanus.

Hodie regnum Siciliæ in *tres valles* dividitur. 1. *Vallis Mazara* Lilybæum reſpicit, continetque oppida *Mazaram*, *Marzelliam*, *Drepanum* & *Palermo* (olim Panormum) ſedem Proregis Academia & portu inclytam. 2. *Vallis Demona* habet *Meſſinam* Principem poſt Palermo civitatem, nunc ſeditione vexatam, *Milazo* (Mylæ olim erant) portum munitum, *Catinam* Academiam, *Leontium*. 3. *Vallis Neeti* tenet *Saragoſam* (Syracuſas) *Neetum*, *Camarinam*, *Agrigentum*, &c.

Inſulæ inter Siciliam & Italiam ſunt

ſunt *Æoliæ*, e quibus *Lipare*, *Hiera*, *Strongyle* Poëtis celebratiſſimæ: & inter Lilybæum ac Africam *Ægimurus* prælio belli I. Punici celebrata.

II. SARDINIA (unde *Sardous riſus*, & *Sardi venales*, proverbia) etiam Hiſpano regi paret. Olim quoque in ea oppida non obſcura & portubus inſtructa erant *Sulchi*, *Caralis* & *Olbia*. Hodie *Caralis Caglieri* dici ſolet, eſtque ſedes Gubernatoris: Sulchi vero dicitur *Palma di Sole*.

III. CORSICA Genuenſium eſt, ut dictum fuit. Oppida olim erant *Aleria* & *Mariana*, nunc dirutæ. *Baſtia* vero jam ſedes eſt Gubernatoris, & *Bonifacio* oppidum operibus munitum.

IV. MALTA (Melite) inter Pachynum & Africam, Divi Pauli naufragio, & hodie Equitum Johannitarum (Malteſer Ritter) ordine clariſſima.

CA-

CAPUT XVI.

De Græcia.

GRæcia olim tantum Theſſaliam & Helladem ſive Græciam proprie dictam continebat, cui deinde acceſſerunt Peloponneſus, Epirus & Macedonia.

Totum vero, quod Græciæ nomine veniebat, Romani in duas provincias diviſerunt, *Macedoniam*, ſub qua ipſa Macedonia, Epirus & Theſſalia: & *Achajam*, ſub qua Græcia propriè dicta, Peloponneſus & circumjacentes inſulæ erant.

Clauditur vero Græcia ab ortu Ægæo mari, a meridie Cretico: ab occaſu Ionio: a ſeptentrione Scardicis jugis & Strymone amne. Illis ab Illyrico & Mœſia; hoc a Thracia diſtinguitur, quamvis fines prolongati fuerint, & Act. XVI. 12. urbs *Philippi* trans Strymonem in Thracia, Macedoniæ

doniæ adſcribatur. Nos Romanam diviſionem ſequemur, & ſic eſt

I. Provincia Macedonica.

Sub hac erat I. MACEDONIA ipſa ab Ægæo ad Adriaticum mare inter Thraciam & Theſſaliam patens. Urbes prope Ægæum mare fuerunt *Pella*, regia Philippo & Alexandro alumnis inclyta: *Pydna*, in qua Olympiadem Caſſander oppugnavit: *Berrhœa* & *Apollonia*, Pauli peregrinatione claræ: *Theſſalonica* (olim Therma) Pauli epiſtolis & Ciceronis exilio illuſtris, emporium celebre. *Pallene*, *Potidæa* (poſtea a Caſſandro reſtauratore *Caſſandréa* dicta) *Torone*, *Singus*, *Olynthus* a Philippo everſa, *Acanthus*, *Stagira* Ariſtotelis patria, *Arethuſa*, *Amphipolis* Attica colonia ad fluv. Strymona: De *Philippis* ante dictum eſt, ad quos Brutus & Caſſius victi. Præterea *Ædeſſa*, antiqua regia verſus mediterraneam partem, & *Oſſa*, &c.

Ad

Ad Adriaticum mare erant *Taulantii*, quorum *Epidamnus* fuit, poſtea *Dyrrachium* dicta, ubi Cæſar minus proſpere cum Pompejo pugnavit, hodie *Durazzo* dicitur: deinde *Apollonia* literarum ſtudiis florida: & ipſum oppidum *Taulantium*.

* Alii hæc omnia, quæ ad Adriaticum mare ſunt, Epiri partem faciunt.

Montes hîc ſunt *Æmus*, *Omphalus*, *Athos* a Xerxe perfoſſus. Fluvii *Strymon*, *Chabris*, *Axius*, *Aliacmon*, *Apſus* Cæſaris & Pompeji caſtra dividens.

II. EPIRUS in angulo Ionii & Adriatici maris, cujus gentes erant Moloſſi, Dryopes, Chaonii, Acarnanes, Dolopes, Amphilochii: Urbes *Ambracia*, Pyrrhi regia, *Buthrótum* Pomponii Attici poſſeſſionibus notum: *Dodona* oraculo illuſtris: *Actium* Auguſti victoria notiſſimum oppidum & promontorium, & *Nicopolis* Actio trans fretum in hujus victoriæ

memoriam oppoſita: *Argi Amphilochiûm, Sybota, Leucas* ex Peloponneſio bello nota oppida: Ad Adriaticum mare eſt *Oricum* bello civili Pompejano ſæpius memoratum.

Montes hîc ſunt *Acroceraunii* naufragiis infames: *Pindus* Muſis ſacer. Fluvii *Acheron, Cocytus* & *Achelous.* Inſulæ *Corcyra* urbem habens ejuſdem nominis, coloniam Corinthiorum: *Cephalenia* cum urbe cognomine. Utraque eſt in poteſtate Venetorum *Zacynthus, Ithaca* Ulyſſis patria, *Dulichium, Leucadia, Ericuſa,* & Echinádes, &c.

III. THESSALIA, cujus regiones ſunt 1. Eſtiotis, in qua *Gomphi, Philippi* & *Pharſalus*, in quibus campis Pompejus a Cæſare victus eſt. Deinde *Phæſtus, Tricca.* 2. Theſſalia propria, ubi *Hypata.* 3. Pelaſgia, ubi *Atrax* & *Scotuſa.* 4. Magneſia ad Ægæum mare, ubi oppidum *Magneſia, Iolcus,* veneni ferax, *Methone,* in

cujus

cujus obſidione Philippus oculum amiſit. 5. Phthiotis verſus Achajam, in qua ſunt *Phæræ*, tyranni Alexandri ſedes: *Phthia, Lariſſa, Sperchia* maritima oppida. *Lamia* Lamiaco bello clarior facta.

Montes *Olympus*, *Pelius*, *Oſſa*, & Perſico bello celebratæ *Thermopylæ* inter montes & mare anguſta porta. Fluvii *Sperchius* & *Peneus*, ad quem *Tempe* ſunt amœniſſima.

II. Provincia Achaica.

I. HELLAS ſive Græcia propriè dicta, cujus regiones ſunt

1. Ætolia, in qua *Chalcis* (alia in Eubœa) *Calydon* & *Olenus*.

2. Doris, ubi *Bojum* & *Citinium* ſunt.

3. Locris occidentalis habens *Naupactum* bello Peloponneſio inſignem. Et hujus Locridos incolæ *Ozolæ* dicti ſunt.

 4. Pho-

4. Phocis, cujus erant *Delphi*, Apollinis oraculo celebratiſſima urbs, quæ & *Pytho* dicta, Pauſania teſte in Phoc. fol. 322. ſecus ac Eraſmus Chil. 1. Cent. 7. prov. 90. diſtinguit. Porro *Criſſa*, *Cirrha*, *Anticirrha* ſeu Anticyra.

5. Locris orientalis (ab occidentali Parnaſſo & parte Phocidis diſtincta) cujus incolæ *Opuntii* ab oppido *Opûs*; & *Epicnemidii* a Cnemide monte appellati, cui *Cnemides* adjacebant oppidum. Opuntiis proximæ erant *Thermopylæ*.

6. Bœotia, cujus caput erant *Thebæ* ab Alexandro M. everſæ, a Caſſandro reſtauratæ. *Cadméa* arx Thebarum fuit, quæ a Spartanis occupata cauſa extitit belli Thebani. Fontes in hac vicinia *Hippocrene*, *Aganippe*, *Dirce*. Præterea hic erant *Orchomenus*, *Theſpiæ*, *Orópus*, *Delium*, etiam *Leuctra* Epaminondæ victoria, *Platææ* Mardonii clade, *Chæronéa* Philippi cum

cum Athenienſibus prælio & Plutarchi incunabilis, *Coronea* Ageſilai victoria, *Aulis* portu ad Euripum nobilitata oppida.

7. Megaris, in qua fuit *Megara* Euclidis patria, & *Eleuſine* Cereris fano conſpicua.

8. Attica, quæ habebat matrem artium *Athenas* cum *Munichia* & portu *Piræeo*: Eſt quoque *Marathon* Miltiadis victoria illuſtris; *Decelia* & *Phyle* caſtella: *Sunium* promontorium.

Montes hujus provinciæ ſunt *Helicon* (ad cujus radices fuit *Aſcra* vicus, patria Heſiodi) *Parnaſſus* uterque Muſis ſacer: *Oeta* vero Herculi fatalis.

Flumina Hellados ſunt *Aſópus*, *Isménus* Thebas, *Eridanus* Athenas alluens: Ad hæc *Cephiſus* Bœotiæ, & *Evénus* Ætoliæ, &c.

II. PELOPONNESUS, cujus regiones ſunt

1. Achaja Propria, ubi in Iſthmō, qui Iſthmicis ludis nomen dedit, ſita eſt *Corinthus*, cujus navale erant *Cenchreæ* ad ſinum Saronicum: *Schœnûs* ad eundem ſinum portus in anguſtiſſima Iſthmi parte. Unde ex Schœnunte machinis naves per terram in ſinum Criſſæum trahebantur, ad quem erat *Lechæum* itidem portus Corinthiorum. Præterea hîc erant *Sicyon*, *Ægira*, *Phlius* & *Patræ* emporium.

2. Elis, in qua *Olympia* ſeu *Piſa* Olympici agonis ſedes: deinde *Elis* oppidum, *Cypariſſa* & *Cyllene*: etiam *Pylus Eliaca*, & *Pylus Neſtoris* patria.

3. Meſſenia, ubi *Meſſene* Lacedæmoniorum bellis afflicta, *Helos* & *Pylus Meſſeniorum*: *Methone* quoque & *Corone*. Quidam etiam ad Meſſeniam referunt Pylum Neſtoris, ſed de tribus his urbibus ejuſdem nominis, & omnibus quidem in Peloponneſo, facilis error & confuſio fuit.

4. Ar-

4. Arcadia paſtorum deliciæ. Hîc erat *Mantinéa* Epaminondæ cruenta victoriâ illuſtris: *Tégea*, *Megalopolis* Polybii patria, *Clitor*, ubi fons Clitorius erat vini faſtidium afferens. Dividitur Arcadia per Alpheum fluvium in Ciſalphæam, cujus fuerunt enarrata oppida; & Tranſalphæam.

5. Argolis ſive Argivorum regio, ubi fuerunt *Mycénæ* Agamemnonis regia, *Argi*, *Némea*, unde ſilva Nemæa & ludi Nemæi dicti: *Nauplia* Argivorum navale: *Træzen* Athenienſium in Perſico belló refugium, *Epidaurus* Æſculapii patria, & *Lerna* lacus Herculis laboribus notiſſimus.

6. Laconica, cujus caput fuit *Lacedæmon*, quæ & *Sparta* dicebatur, virtutis omnis egregium monumentum. *Gythéum* portus & navale Spartanorum erat ad Eurotæ fluv. oſtium.

Flumina Peloponneſi ſunt *Eurótas* Spartam alluens: *Inachus* in Argivis: *Alpheus* Arcadiam diſtinguens: *Pa-*

miſus in Meſſeniis. Montes *Taygetus*, *Mænalus*, *Stymphalus*, &c. Promontoria Laconicæ duo ſunt *Maleum* verſus Cretam; *Tænarium* verſus Africam.

III. INSULÆ provinciæ Achaicæ ſunt.

1. Eubœa a Bœotia Euripo freto diſtincta. In hac ſunt *Chalcis* urbs Aulidi ad fretum oppoſita: *Eretria*, &c. & *Artemiſium* promontorium in ſeptentrione Themiſtoclis victoria inclytum.

2. Creta, magna inſula, cujus oppida erant *Gortyna*, *Cydon*, *Dictinna*, *Corycus*, *Gnoſſus*, *Minoa*. Montes *Idæus* & *Dictæus*.

3. Cyclades, quaſi in circulo, cujus centrum *Delos* eſt, poſitæ. Potiores ſunt *Naxos*, *Paros*, *Scyros*, *Tenos*, *Andrus*, *Amorgus*, &c.

4. Sporades, quaſi diſperſæ, nempe *Pathmos* Johannis Apocalypſi nobilis, *Icaria*, *Claros*, *Cos*, *Chios*, &c.

5. Cir-

5. Circa Peloponneſum ſunt *Ægina* e regione Piræei: *Salamin* Xerxis clade celebris & Themiſtoclis victoria: *Cythére* Laconum ſuburbana: *Echinádes*, & aliæ, de quibus ſupra in Provincia Macedonica dictum fuit: *Strophades* in mari Ionio.

Græcia Nova.

GRæcia hodierna amiſit ſplendorem Turcica ſervitute, & barbariem induit.

Macedonia Turcis in tres provincias dividitur, quæ Thraciæ proxima eſt, *Jamboli* dicitur: quæ Theſſaliæ contermina, *Camenolitari*, in qua celeberrimum emporium eſt *Salonichi* (Theſſalonica) portu optimo inſtructum: quæ vicina eſt Dalmatiæ, *Albania* appellatur, in qua ſunt *Dumzzo* (Dyrrhachium) ad mare, & *Croja* in mediterraneis, patria Scanderbegi, urbs munitiſſima.

Digitized by Google

Mœſia dicebatur, quæ vel *Superior* fuit verſus Pannoniam, & hodie *Serviæ* regnum dicitur, in quo olim *Baſtarnæ* & *Dardani* erant, poſtmodum a Servis vel Syrvis Scythiæ populo oppreſſi: vel I*nferior* ab Iſtri oſtiis ad Thraciam pertingens; & hæc *Bulgaria* vocatur propter Bulgaros Scythicam gentem, quæ illam regionem occupavit. Ante hos eam tenebant *Triballi* & ex parte *Getæ*: nam reliqui Getæ trans Iſtrum in Daciæ finibus erant, & ſequenti tempore *Gothi* dicebantur late per ſeptentrionem dominantes. Vid. Boxhorn. Hiſt. Univerſ. p. 224. Utramque vero Mœſiam diſtinguit *Ciabrus* fluvius.

Mœſia Superior ſeu SERVIA regiam quondam habebat *Senderoviam* ſeu *Zendrew* 1439. a Turcis captam. Ipſum quoque *Taurunum* ſeu *Alba Græca* cum vicino *Aureo monte* huic Mœſiæ adſcribebatur. *Pons* quoque *Trajani* ad *Severinum* in Iſtro factus non

non parum hanc regionem ornabat.

Oppida præterea ſunt *Bodon*, *Novibazar*, *Ibar*, & *Margus*, ad quam Diocletianus vicit Carinum. Vid. Vopiſcus in Carino cap. 18.

Inferioris Mœſiæ ſive BULGARIÆ metropolis eſt *Sophia*: deinde *Nicopolis* ad Iſtrum, ubi Sigiſmundus Imperator a Bajazethe 1396. ſuperatus fuit: & *Varna* ad Pontum clade Uladislai Hungariæ regis perjuri 1444. famoſa: Etiam *Tomi* Ovidii exilio celebres in hoc Ponti litore ſunt verſus Iſtri oſtia. Ibidem quoque *Dronisopolis* (olim Dionyſiopolis) ac *Martianopolis* a ſorore Trajani ita cognominata, & *Sarpedonia*: at *Axiopolis* eſt ad ripam Danubii.

Thracia.

Thracia, hodie *Romania*, eſt inter Ægæum mare, Propontidem, Pontum Euxinum & juga Æmi mon-

montis. Caput regionis eſt *Byzantium* ſeu *Conſtantinopolis*, olim Imperatoria Chriſtianorum ſedes: 1453. a Muhamede II. capta, nunc compendium totius imperii Turcarum. Poſt hanc eſt *Adrianopolis* ſedes Turcici Imperatoris ante captam Conſtantinopolin, ejuſdemque etiamnum receſſus. Præterea *Trajanopolis*, *Philippopolis*, *Maximianopolis*: *Nicéa* Thraciæ, unde Synodus Pſeudo-Nicena dicitur, quo nomine imperitis impoſuerunt Ariani: & *Sardica* inter Æmum & Rhodopen montes, Sardicenſi Concilio in cauſa Athanaſii celebris urbs, quam miror a vulgo Geographorum omitti, ab aliis Illyrico, ſecus ac Ammianus docet, accenſeri.

Etiam antiquæ ibi urbes fuerunt *Ænus* ad Ægæum mare, *Perinthus* ad Propontidem, *Lyſimachia* & *Cardia* ad Iſthmum illius Cherſoneſi, in quam coloniam duxit Miltiades: *Phi-*

lippi

lippi Bruti & Caſſii clade nobiles, de quibus ſupra in Macedonia dictum fuit. In ipſa peninſula *Callipolis* eſt, & *Xeſtus* Leandri & Herûs amoribus nota.

Fluvii Thraciæ ſunt *Strymon*, *Hebrus*, & in Cherſoneſo e regione Lampſaci *Ægos potamos*, quaſi capellæ flumen, apud quem victi Athenienſes imperium Græciæ amiſerunt.

Inſulæ quoque huc Ægæi maris pertinent *Lemnus*, *Samothrace*, *Thaſus* dives marmoris, &c.

CAPUT XIIX.

De Moſcovia & Tartaria Precopenſi.

MOſcovia olim *Sarmatia* & *Scythia Europæa*, nunc quoque *Ruſſia* dicitur, ſed *Alba* ſeu *Magna*, ad Ruſſiæ Rubræ differentiam, quæ Poloniæ provincia eſt. A Sueciæ & Polo-

montis. Caput regionis eſt *Byzantium* ſeu *Conſtantinopolis*, olim Imperatoria Chriſtianorum ſedes: 1453. a Muhamede II. capta, nunc compendium totius imperii Turcarum. Poſt hanc eſt *Adrianopolis* ſedes Turcici Imperatoris ante captam Conſtantinopolin, ejuſdemque etiamnum receſſus. Præterea *Trajanopolis*, *Philippopolis*, *Maximianopolis*: *Nicéa* Thraciæ, unde Synodus Pſeudo-Nicena dicitur, quo nomine imperitis impoſuerunt Ariani: & *Sardica* inter Æmum & Rhodopen montes, Sardicenſi Concilio in cauſa Athanaſii celebris urbs, quam miror a vulgo Geographorum omitti, ab aliis Illyrico, ſecus ac Ammianus docet, acenſeri.

Etiam antiquæ ibi urbes fuerunt *Ænus* ad Ægæum mare, *Perinthus* ad Propontidem, *Lyſimachia* & *Cardia* ad Iſthmum illius Cherſoneſi, in quam coloniam duxit Miltiades: *Philippi*

lippi Bruti & Caſſii clade nobiles, de quibus ſupra in Macedonia dictum fuit. In ipſa peninſula *Callipolis* eſt, & *Xeſtus* Leandri & Herûs amoribus nota.

Fluvii Thraciæ ſunt *Strymon, Hebrus*, & in Cherſoneſo e regione Lampſaci *Ægos potamos*, quaſi capellæ flumen, apud quem victi Athenienſes imperium Græciæ amiſerunt.

Inſulæ quoque huc Ægæi maris pertinent *Lemnus, Samothrace, Thaſus* dives marmoris, &c.

CAPUT XIIX.

De Moſcovia & Tartaria Precopenſi.

MOſcovia olim *Sarmatia* & *Scythia Europæa*, nunc quoque *Ruſſia* dicitur, ſed *Alba* ſeu *Magna*, ad Ruſſiæ Rubræ differentiam, quæ Poloniæ provincia eſt. A Sueciæ & Polo-

montis. Caput regionis eſt *Byzantium* ſeu *Conſtantinopolis*, olim Imperatoria Chriſtianorum ſedes: 1453. a Muhamede II. capta, nunc compendium totius imperii Turcarum. Poſt hanc eſt *Adrianopolis* ſedes Turcici Imperatoris ante captam Conſtantinopolin, ejuſdemque etiamnum receſſus. Præterea *Trajanopolis*, *Philippopolis*, *Maximianopolis*: *Nicea* Thraciæ, unde Synodus Pſeudo-Nicena dicitur, quo nomine imperitis impoſuerunt Ariani: & *Sardica* inter Æmum & Rhodopen montes, Sardicenſi Concilio in cauſa Athanaſii celebris urbs, quam miror a vulgo Geographorum omitti, ab aliis Illyrico, ſecus ac Ammianus docet, accenſeri.

Etiam antiquæ ibi urbes fuerunt *Ænus* ad Ægæum mare, *Perinthus* ad Propontidem, *Lyſimachia* & *Cardia* ad Iſthmum illius Cherſoneſi, in quam coloniam duxit Miltiades: *Philippi*

lippi Bruti & Caſſii clade nobiles, de quibus ſupra in Macedonia dictum fuit. In ipſa peninſula *Callipolis* eſt, & *Xeſtus* Leandri & Herûs amoribus nota.

Fluvii Thraciæ ſunt *Strymon*, *Hebrus*, & in Cherſoneſo e regione Lampſaci *Ægos potamos*, quaſi capellæ flumen, apud quem victi Athenienſes imperium Græciæ amiſerunt.

Inſulæ quoque huc Ægæi maris pertinent *Lemnus*, *Samothrace*, *Thaſus* dives marmoris, &c.

CAPUT XIIX.

De Moſcovia & Tartaria Precopenſi.

MOſcovia olim *Sarmatia* & *Scythia Europæa*, nunc quoque *Ruſſia* dicitur, ſed *Alba* ſeu *Magna*, ad Ruſſiæ Rubræ differentiam, quæ Poloniæ provincia eſt. A Sueciæ &

Polo-

miſus in Meſſeniis. Montes *Taygetus*, *Mænalus*, *Stymphalus*, &c. Promontoria Laconicæ duo ſunt *Maleum* verſus Cretam; *Tænarium* verſus Africam.

III. INSULÆ provinciæ Achaicæ ſunt.

1. Eubœa a Bœotia Euripo freto diſtincta. In hac ſunt *Chalcis* urbs Aulidi ad fretum oppoſita: *Eretria*, &c. & *Artemiſium* promontorium in ſeptentrione Themiſtoclis victoria inclytum.

2. Creta, magna inſula, cujus oppida erant *Gortyna*, *Cydon*, *Dictinna*, *Corycus*, *Gnoſſus*, *Minoa*. Montes *Idæus* & *Dictæus*.

3. Cyclades, quaſi in circulo, cujus centrum *Delos* eſt, poſitæ. Potiores ſunt *Naxos*, *Paros*, *Scyros*, *Tenos*, *Andrus*, *Amorgus*, &c.

4. Sporades, quaſi diſperſæ, nempe *Pathmos* Johannis Apocalypſi nobilis, *Icaria*, *Claros*, *Cos*, *Chios*, &c.

5. Cir-

5. Circa Peloponneſum ſunt *Ægina* e regione Piræei: *Salamin* Xerxis clade celebris & Themiſtoclis victoria: *Cythére* Laconum ſuburbana: *Echinádes*, & aliæ, de quibus ſupra in Provincia Macedonica dictum fuit: *Strophades* in mari Ionio.

Græcia Nova.

GRæcia hodierna amiſit ſplendorem Turcica ſervitute, & barbariem induit.

Macedonia Turcis in tres provincias dividitur, quæ Thraciæ proxima eſt, *Jamboli* dicitur: quæ Theſſaliæ contermina, *Camenolitari*, in qua celeberrimum emporium eſt *Salonichi* (Theſſalonica) portu optimo inſtructum: quæ vicina eſt Dalmatiæ, *Albania* appellatur, in qua ſunt *Durazzo* (Dyrrhachium) ad mare, & *Croja* in mediterraneis, patria Scanderbegi, urbs munitiſſima.

Digitized by Google

Epirus hodie *Canina* dicitur, ejusque caput & ſedes præfecti Turcici eſt *Lepanto*, vetus nempe Hellas ſive Græcia proprie dicta hodie *Livadia* vocatur: Theſſalia *Janna*: Peloponneſus *Morea*: Athenæ *Sithenes*: Sparta *Miſithra*, ſed abſque veteri ſplendore. *Napoli* eſt urbs Peloponneſi portu prædita, vetus Nauplia.

Inſularum quoque nomina immutata ſunt. Nam Creta vocatur *Candia* a metropoli hujus nominis, ſeu *Candia* munita urbe: poſt hanc ſunt *Rethymo*, & Canéa 1669. a Turcis occupata, olim Cydon dicta: *Sittia* & *Cornico*, olim Corycus.

Eubœa vocatur *Negroponte*: Lemnus *Stalimene*: Ægina *Engia*: Ericuſa *Pachſu*: Echinades *Iſole de Morea*: Zacynthus *Zante*: Corcyra *Corfu*, quamvis hæc ſit Venetorum.

Marium nomina fere hæc ſunt hodie: *Archipelagus* eſt mare Ægæum: *Golfo di Salonichi* Thermaicus ſinus:

Gol-

Golfo di Napoli Argolicus ſinus: *Golfo di Engia* ſinus Saronicus, Corintho orientalis: *Golfo di Lepanto* ſinus Criſſæus, Corintho occidentalis: *Golfo di Colochina* ſinus Laconicus: *Golfo di Corone* ſinus Meſſenius, &c.

CAPUT XVII.

De Turcia Europæa.

TUrciam in Europa appellamus Mœſiam & Thraciam, quod hæ provinciæ noſtratibus vulgariter die Türckey dicuntur, & ita eas Turcæ poſſident, ut nemo nunc ſit, qui contendere de iis audeat.

Mœſia.

QUicquid a Pannonia inter Iſtrum fluvium & Æmum montem ad Euxinum uſque Pontum eſt, olim

Mœſia dicebatur, quæ vel *Superior* fuit verſus Pannoniam, & hodie *Serviæ* regnum dicitur, in quo olim *Baſtarnæ* & *Dardani* erant, poſtmodum a Servis vel Syrvis Scythiæ populo oppreſſi: vel *Inferior* ab Iſtri oſtiis ad Thraciam pertingens; & hæc *Bulgaria* vocatur propter Bulgaros Scythicam gentem, quæ illam regionem occupavit. Ante hos eam tenebant *Triballi* & ex parte *Getæ:* nam reliqui Getæ trans Iſtrum in Daciæ finibus erant, & ſequenti tempore *Gothi* dicebantur late per ſeptentrionem dominantes. Vid. Boxhorn. Hiſt. Univerſ. p. 224. Utramque vero Mœſiam diſtinguit *Ciabrus* fluvius.

Mœſia Superior ſeu SERVIA regiam quondam habebat *Senderoviam* ſeu *Zendrew* 1439. a Turcis captam. Ipſum quoque *Taurunum* ſeu *Alba Græca* cum vicino *Aureo monte* huic Mœſiæ adſcribebatur. *Pons* quoque *Trajani* ad *Severinum* in Iſtro factus non

non parum hanc regionem ornabat.

Oppida præterea ſunt *Bodon*, *Novibazar*, *Ibar*, & *Margus*, ad quam Diocletianus vicit Carinum. Vid. Vopiſcus in Carino cap. 18.

Inferioris Mœſiæ ſive BULGARIÆ metropolis eſt *Sophia*: deinde *Nicopolis* ad Iſtrum, ubi Sigiſmundus Imperator a Bajazethe 1396. ſuperatus fuit: & *Varna* ad Pontum clade Uladislai Hungariæ regis perjuri 1444. famoſa: Etiam *Tomi* Ovidii exilio celebres in hoc Ponti litore ſunt verſus Iſtri oſtia. Ibidem quoque *Dronisopolis* (olim Dionyſiopolis) ac *Martianopolis* a ſorore Trajani ita cognominata, & *Sarpedonia*: at *Axiopolis* eſt ad ripam Danubii.

Thracia.

THracia, hodie *Romania*, eſt inter Ægæum mare, Propontidem, Pontum Euxinum & juga Æmi mon-

montis. Caput regionis eſt *Byzantium* ſeu *Conſtantinopolis*, olim Imperatoria Chriſtianorum ſedes: 1453. a Muhamede II. capta, nunc compendium totius imperii Turcarum. Poſt hanc eſt *Adrianopolis* ſedes Turcici Imperatoris ante captam Conſtantinopolin, ejuſdemque etiamnum receſſus. Præterea *Trajanopolis*, *Philippopolis*, *Maximianopolis*: *Nicæa* Thraciæ, unde Synodus Pſeudo-Nicena dicitur, quo nomine imperitis impoſuerunt Ariani: & *Sardica* inter Æmum & Rhodopen montes, Sardicenſi Concilio in cauſa Athanaſii celebris urbs, quam miror a vulgo Geographorum omitti, ab aliis Illyrico, ſecus ac Ammianus docet, acenſeri.

Etiam antiquæ ibi urbes fuerunt *Ænus* ad Ægæum mare, *Perinthus* ad Propontidem, *Lyſimachia* & *Cardia* ad Iſthmum illius Cherſoneſi, in quam coloniam duxit Miltiades: *Philippi*

lippi Bruti & Caſſii clade nobiles, de quibus ſupra in Macedonia dictum fuit. In ipſa peninſula *Callipolis* eſt, & *Xeſtus* Leandri & Herûs amoribus nota.

Fluvii Thraciæ ſunt *Strymon*, *Hebrus*, & in Cherſoneſo e regione Lampſaci *Ægos potamos*, quaſi capellæ flumen, apud quem victi Athenienſes imperium Græciæ amiſerunt.

Inſulæ quoque huc Ægæi maris pertinent *Lemnus*, *Samothrace*, *Thaſus* dives marmoris, &c.

CAPUT XIIX.

De Moſcovia & Tartaria Precopenſi.

MOſcovia olim *Sarmatia* & *Scythia Europæa*, nunc quoque *Ruſſia* dicitur, ſed *Alba* ſeu *Magna*, ad Ruſſiæ Rubræ differentiam, quæ Poloniæ provincia eſt. A Sueciæ &

Digitized by Google

Poloniæ finibus ad Caſpium mare & Tartariam Magnam, indeque ad fretum Waigats latiſſime extenditur.

Imperii caput & ſedes magni ducis, quem *Czar* ſeu Imperatorem dicunt, eſt *Moſcua*, maxima urbium, vel ſola arce XX. millia ſatellitum capiens. Poſt hanc *Woldemier* caput quondam imperii: & *Novograd* urbs potentiſſima: Præterea *Uſtiug* emporium mediterraneum: *S. Nicolai* vero & *Archangeli* emporia ſunt maritima in extremo ſeptentrione. *Smolensko*, in Poloniæ finibus ad Dnieperum fluvium eſt, de qua urbe ſæpe decertarunt Poloni.

Ex Aſiatica Tartaria Moſcus poſſidet regnum *Caſan* & *Aſtracan* ambo circa divortia & oſtia Wolgæ. Metropolis illius eſt *Caſana* ad confluentes Caſancii fluv. & Wolgæ: hujus *Aſtracan* prope oſtia Wolgæ ſalinis & mercatu inclyta.

Fluvii Moſcoviæ ſunt *Wolga* (olim Rha) in Caſpium mare ſe effundens: *Tanais* (Don) in paludem Mæotim prolabens: *Dnieper* ſive *Boryſthenes* in Poloniæ finibus.

Infra Moſcoviam Tartaria *Crimenſis* ſeu *Precopenſis* Boryſthene & Tanai concluditur, a metropoli *Precop*, quæ in Iſthmo Cherſoneſi Tauricæ eſt, appellata. *Criméum* vero metropolis erat ante conditam Precop. Præterea celebris urbs in Cherſoneſo eſt *Caffa*. Quidam ſic diſtinguunt, ut Precopenſes Tartari ſint in Cherſoneſo, Crimenſes extra eam: ſed alii diſtinctionem negligunt. Sultan ſeu dux hujus gentis eſt hoſtis Moſcorum: tributarius vero Turcarum & in bello ſocius. Gens ipſa barbara & ferox Poloniæ & Moſcoviæ fines graviſſime infeſtans. Olim hîc *Tauri* habitabant, unde nomen eſt Tauricæ Cherſoneſo. Boſporus vero Cimmerius denominatur ex *Cimmerio*, anti-

quo

Digitized by Google

quo hujus Cherſoneſi oppido. Ammianus Marcellinus lib. 22. ponit hic quoque ad Mœotim & Tanaim *Roxolanos* Romanorum, quod ex Hiſtoria Auguſta patet, infenſos hoſtes: item *Alanos*, *Gelonos*, &c.

Nec longe abſunt *Koſſaki* colluvies fugitivorum ex Lituania, Polonia & Ruſſia ſervorum, qui inconditam quandam rempublicam in ipſis inſulis Dnieperi & ad oſtia ejus condiderunt, gens rapto & mercenaria militia vivere aſſueta, nullius fidei, ex amico illico hoſtem, & ex hoſte amicum lucri cauſa faciens. Hactenus de Europa; nunc ASIA ſequitur.

CAPUT XIX.

De Aſia Minore ſeu intra Taurum.

DIviſio *Aſiæ* in *Majorem* & *Minorem* ambigua eſt, quod in Minoris terminis non conveniant auctores,

res, & multi ab ea Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam, &c. eximant: alii non tantum has provincias, ſed etiam Ciliciam & Cappadociam includant, ut comūnes cum hodierna *Natolia* terminos habeat. Media nos via incedimus, & ſecluſis Cappadociâ ac Ciliciâ Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam omnino addimus, quod ex Strabonis & Romanorum in bello cum Antiocho diviſione includi eas decet, ut *Minor* ſic *Aſia* veterum *Aſiæ intra Taurum* accuratius reſpondeat, & ex ſeptentrione *Haly* amne terminetur, a meridie *Sarpedonio* promontorio.

Provincias huic Aſiæ cum veteribus tribuimus in latere occidentali Myſiam, Phrygiam, Æoliam, Ioniam, Cariam: in meridionali Lyciam & Pamphyliam: a ſeptentrione Bithyniam, Paphlagoniam: in mediterranea parte Lydiam, Piſidiam, Iſauriam, Lycaoniam & Galatiam.

I. MY-

I. MYSIA eſt vel *Minor* ad Helleſpontum & Propontidem, ejuſque pars *ora Helleſponti* dicitur: vel *Major* inter Phrygiam utramque, id eſt, Majorem & Minorem interjacens, quamvis fateatur Strabo, Myſiæ Phrygiæque fines difficulter diſtingui.

Minoris Myſiæ ſunt *Cyzicus* mira erga Romanos fide Mithridaticam obſidionem ſuſtinens: *Lampſacus* Themiſtocli dono data a rege Artaxerxe: & inter utramque amnis *Granicus* prima Alexandri contra Perſas victoria nobilitatus: *Abydus* Xeſto oppoſita, principium pontis, quem Xerxes in Helleſponto fecerat: nec non *Dardanum*, &c. Fluvii ſunt præter Granicum *Simois* & *Æſepus*: mons *Ida*.

Majoris Myſiæ oppida ſunt *Adramitium*, *Alyda*, *Trajanopolis*, *Pergamus* Attalorum regia ad fluvium Caycum, a qua omnis hic tractus ad Cariam uſque *Pergamene Aſia* vocabatur,

tur, quæ etiam *Aſia Propria* dicta fuit.

II. PHRYGIA itidem fuit vel *Minor*, quæ & *Troas* dicitur, in qua erat regia urbs *Ilium* vel *Troja* cum arce *Pergamis*: oppidum *Sigæum*, *Alexandria*, *Aſſum*: Fluvius *Scamander*: Promontoria *Lectum* & *Sigæum*.

Major Phrygia inter Galatiam & Lydiam ſita habebat *Gordium*, ubi nodum enſe Alexander ſolvit: *Synnadam* marmore divitem, *Apaméam Cibótum* cognomine ad Marſiæ & Mæandri confluentes emporium: *Antiochiam* Phrygiæ, & *Peſſinuntem* matris Deûm ſimulacro celebrem, de quo Herodianus videatur lib. 1. cap. 11. In hujus Phrygiæ confinio Strabo quoque *Coloſſas* ad confluentem Lyci & Mæandri ponit, Paulina epiſtola ſatis honoratas.

III. ÆOLIS Græcorum colonia fuit late in litore Aſiatico Ægæi maris diſperſa a Cayco nempe fluvio

ad

ad Smyrnam. Oppida vel occupavit, vel condidit *Cumam* (Cymen) & vicinum *Notium*, ubi Athenienſes a Peloponneſiis navali prælio ſunt victi: *Elæam* ad oſtia Cayci, Pergamenorum regum navale: *Lariſſam*, & inclytam, quamvis in vicina inſula ſitam, *Mitylenen*.

IV. IONIA pariter colonia Græcorum in hoc litore diffuſa urbes condidit *Phocæam* Maſſiliæ in Gallia Narbonenſi parentem: *Smyrnam* mercatu nobiliſſimam, quæ antea Æolica civitas erat, poſtea Ionibus tradita: *Clazomenas*, *Erythræam*, *Lebédum*, *Teum* Anacreontis patriam: *Colophona*, *Epheſum* Dianæ templo olim claram; poſtea Chriſtiana fide & præprimis Synodo Anti-Neſtoriana clariorem: *Prienen* Biantis patriam: *Myunta* pariter Themiſtocli donatam: *Miletum*, unde Mileſii dicuntur. Cluverio quidem Miletus & Priene Cariæ pars ſunt, ſed nos ſecuti

ſu-

ſumus Strabonem lib. 14. initio, & Vellejum Paterc. lib. 1. cap. 4.

Fluvii Ioniæ ſunt *Cayſtrus*, & qui ex Phrygia huc defertur, *Mæander* adeo flexuoſus, ut in proverbium quoque abierit. Promontorium *Mycale* inter Epheſum & Samum eſt, ubi Perſæ a Leotychide & Xantippo Græcorum ducibus fuere victi.

V. CARIA tractus eſt a Mæandro fluvio (hunc enim ei terminum ponit Strabo) ad Carpathium mare. Metropolis fuit *Halicarnaſſus* regum Cariæ ſedes, Herodoti patria, ab Alexandro M. expugnata: *Cnidus*, *Ceramus*, *Myndus*, *Alinda* Adæ reginæ ſedes: *Stratonice* a Macedonibus condita. Quod vero Græca Dorienſium colonia Cares ex meridionali tractu, in quo Halicarnaſſus & Cnidus eſt, exturbavit, illa regio poſtmodū DORIS fuit appellata. Olim Cares etiam Ioniæ partem poſſederunt, ſed ejecti utrinque in anguſtias redacti ſunt.

VI. LYCIA inſulæ Rhodo objecta oppida habebat *Telmeſſum* portu præditam: *Xanthum* a fluvio hujus nominis præterfluente dictam: *Pataram* etiam portu inſtructam: *Arſinoën* cum Lyciæ cognomento, de Ptolemæi Philadelphi uxore dictam: *Andriacen, Limyram.* Mons hîc eſt *Chimæra*, qui nocturnis æſtibus fumum exhalando occaſionem fabulæ de triformi monſtro dedit.

VII. PAMPHYLIA inter Lyciam & Ciliciam Aſperam ſita. Eſt hîc *Phaſelis* ad mare, piratarum receptaculum in finibus Lyciæ: *Attalia* ab Attalo Philadelpho condita: *Perga* Apoſtoli itineribus nota: *Aſpendus, Termeſſus, Side.* Fluvius *Eurymedon*, ad quem excenſu e navibus in terram facto Cimon terreſtres Perſarum copias ſtrategemate vicit. Promontorium hîc eſt *Sarpedon* Romani Imperii in pacificatione cum Antiocho M. terminus.

IIX. BI-

IIX. BITHYNIA prima poſt Thracium Boſporum Pontica regia, cujus urbes ſunt *Chalcédon* & *Nicéa*, utraque Oecumenico Concilio clariſſima: *Nicomedia* regum Bithynorum ſedes: *Apaméa*, *Libyſſa* Annibalis ſepulcro nota: *Pruſia* Dionis Chryſoſtomi patria: *Chryſopolis* vicina Chalcedoni: Addita huic provinciæ a Romanis quædam pars Paphlagoniæ, in qua *Heraclea* fuit portu in Ponto & mercatu clara. Flumina ſunt *Gangarius*, *Gallus*, *Calpas*.

IX. PAPHLAGONIA inde in Ponti Euxini litore ad *Halyn* flumen prorogatur Strabone judice, quamvis multa a Mithridatibus ei detracta fuerint, ſiquidem *Sinope* cis Halyn Mithridatis VI. ſedes regia erat. In hac gente erant *Heneti*, quibus Venetos Italiæ originem debere multi crediderunt. Oppida vero Paphlagonum fuerunt *Tius*, *Cammbis*, *Theutrania*.

X. LYDIA inter Ioniam & Phrygiam Majorem a *Sipylo* monte ad fluvium Mæandrum longe protenſa habebat *Sardes* regiam Crœſi, & ſedem poſtea Perſicorum Satraparum, unde omnis Perſarum in Aſia Minore ditio quandoque *Lydia* vocatur, vide Curtium 4, 11. 5. Deinde *Magneſiam ſub Sipylo monte*, ubi Antiochus M. a Romanis victus eſt Livio lib. 37. cap. 37. notante: *Thyatiram*, *Philadelphiam*, *Tralles*, *Nyſam*, *Tripolin*, & alteram *ad Mæandrum Magneſiam*, in Cariæ finibus, Themiſtocli quoque donatam, quæ a ſuperiore Magneſia tanto intervallo abeſt, quam longa eſt Lydia. Flumina ſunt *Pactolus* aurifer, Sardes alluens, & *Cayſtrus*. Uterque ex *Tmolo* monte oritur.

XI. PISIDIA inter Lydiam & Pamphyliam oblique ſita eſt, & oppida habuit *Antiochiam* & *Seleuciam*, utramque cum Piſidiæ cognomine. Late præterea Piſidæ in initiis Tauri montis habitabant.

XII.

XII. ISAURIA ad Taurum eſt inter Phrygiam Magnam & Pamphyliam, habens urbem *Iſaurum* mœnibus olim potentem a Servilio Iſaurico deletam. Ab hujus ruderibus prope abſuit *Claudiopolis*, colonia Claudii Cæſaris, notante Ammiano lib. 14. qui etiam *Seleuciam* quandam Iſauriæ laudat, perinde ac Eutropius, Oroſius, Sulpitius Severus, &c. ubi Trajanus mortuus eſt, & poſtea Concilium Anti-Arianum congregatum fuit. Sed puto hanc non aliam, quam Ciliciæ ad Calycadnum Seleuciam fuiſſe, quod ex Ammiano non obſcure patet, illam quoque Ciliciæ partem Iſauriæ nomen habuiſſe.

XIII. LYCAONIA Ciliciæ & Iſauriæ confinis eſt, in eaque ſunt *Iconium*, *Lyſtra & Derbe* Pauli Apoſtoli fatis (Lyſtræ enim lapidibus fuit coopertus) notiſſima oppida.

XIV. GALATIA Phrygiæ olim pars fuit & vicinarum regionum,

a Gallis ſedem quærentibus occupata. Dicitur & *Gallogræcia*, ejuſque urbs primaria fuit *Ancyra* Concilio Ancyrano nobilis. Caſtella habuit *Blucium* & *Pejum*, quorum alterum Dejotari regia, alterum gazophylacium fuit. Præterea *Tavium* emporium, *Mithridatium*, *Danala*, omnia munita oppida aut caſtella.

Inſulæ huic Aſiæ parti propinquæ ſunt 1. TENEDOS e regione Trojæ. 2. LESBOS ad Æoliam, Pittaci, qui ex VII. ſapientibus fuit, & Sapphûs Poëtriæ patria, multos portus habens, præprimis celeberrimam urbium *Mitylenen*; poſt hanc *Methymnam* & *Pyrrham*. 3. ARGINUSÆ tres inter Mitylenen & Cumam, ad quas victi ſunt Lacedæmonii ab Athenienſibus. 4. SAMOS e regione Epheſi & Mycales promontorii. 5. RHODUS urbe hujus nominis portu, coloſſo, ſchola, & nautica peritia maxime celebris.

6. CAR-

6. CARPATHUS inter Rhodum, & Cretam, unde Carpathio mari nomen eſt. 7. CYPRUS has omnes magnitudine ſuperans infra Ciliciam ſita, utrâque *Papho* Veteri & Nova, *Salamine*, *Arſinoë*, *Citio* patria Zenonis Stoici, *Lapatho* navali, aliisque oppidis exculta.

CAPUT XX.

De Aſia Majore Antiqua.

A Finibus minoris Aſiæ incipit.

I. CILICIA, quæ a Sarpedone promontorio ad Syriam, a qua portis (*pylis*) diſtinguitur, inter mare & Taurum montem continetur. Diſtinguitur in *Trachéam* (Aſperam) quæ a mari ad Iſauriam per continua montium juga tendit, in qua oppidum eſt *Seleucia* Ciliciæ ad Calycadnum

num fluvium : & *Campeſtrem*, quæ a Tarſo ad Iſſum late porrigitur. Metropolis eſt *Tarſus* Pauli Apoſtoli patria, Philoſophiæ ſtudiis cum ipſis Athenis olim concertans : *Soli* vel *Solæ* Græca colonia, ſed ſuæ nativæ linguæ barbariem admiſcens, unde Solœciſmus cognominatur, poſtea hæc urbs *Pompejopolis* dicta fuit, quod Pompejus piratas victos in eam deduxit : Porro *Mallus*, *Iſſus*, ad quam Alexander M. Darium vicit. Non procul aberat *Nicopolis* victoriæ Alexandri monumentum : Etiam *Pindeniſſus*, munitum oppidum, a Cicerone Proconſule captum poſt LVII. dierum operoſam oppugnationem.

Flumina ſunt *Calycadnus*, *Cydnus* mediam Tarſum interfluens, Alexandro M. pene exitialis : *Lamus*, *Sarus*, *Pyramus*, &c. Mons præter Taurum *Amánus* Ciceronis expeditione illuſtratus: Promontoria *Sarpedon* & *Calycad-*

lycadnum, quorum illud terminus eſt Ciliciam a Pamphylia diſtinguens.

II. CAPPADOCIA inter Ciliciam eſt & Pontum Euxinum: ab occidente terminatur *Haly* fluvio; ab oriente Armenia. Dividitur in *Cappadociam Magnam* ſive *ad Taurum*, quæ meridionalis eſt: & in *Cappadociam Ponticam*, quæ ſeptentrionalis, & abſolute quoque *Pontus* appellatur.

Metropolis Cappadociæ Tauri erat *Mazuca* a Pompejo reſtaurata, poſtea *Cæſarea* dicta a Tiberio, patria Pauſaniæ Antiquitatum Græcarum ſcriptoris. Deinde *Cybiſtra* Ciceronis caſtris memorata: *Tyana*, cujus frequens mentio habetur in Vopiſci Aureliano: *Diocæſarea*, *Neocæſarea*, *Nazianzum*, illa Gregorii Neocæſarienſis, hæc Nazianzeni patria: *Nora* caſtellum in Phrygiæ confinio, quo Eumenes Antigoni obſidionem ſuſtinuit: *Comana* Cappadociæ, fano &

Digitized by Google

ſacerdotio illuſtris: *Niſſa* patria Gregorii Niſſeni in confinio Armeniæ. Cappadociæ hujus provincia quædam erat *Camonia* Ciliciæ contermina, in qua fuerunt *Leucoſyri*, & urbs *Fauſtinopolis*.

Pontus ſeu Cappadocia Pontica urbes habuit præter *Sinopen* (de qua ſupra diximus, trans Halyn fluvium, Ponti terminum, in Paphlagonia fuiſſe) *Amiſum* regiam: *Amaſiam* patriam Strabonis Geographi: *Magnopolim* (antea Eupatoriam) a Pompejo reſtauratam, *Pharnaciam* munitum oppidum, *Trapezuntem* ad mare, & præprimis *Comanam Ponticam* pariter religione & opulento fano, ac altera hujus nominis in Cappadocia Magna, illuſtrem & celebratam.

III. ARMENIA inter Cappadociam & Mediam ſita dividitur Euphrate fluvio in *Minorem* tanquam Ciſeuphratæam: & *Majorem* quaſi Transfluvialem. Minoris Armeniæ ca-

caput erat *Melitene*: dein *Nicopolis* Pompeji opus, qui ibi Mithridatem profligaverat: *Cabira* (poſtmodum *Diopolis*, item *Auguſta* ſecundum Strabonem dicta) in quibus quoque palatium Mithridates extruxit: *Tomiſa* caſtellum Cappadocibus proprium. *Sophena* quoque & *Gordena* provinciæ accenſebantur Minori Armeniæ, teſte Appiano in Mithridat. fol. 155.

Majoris Armeniæ urbes erant *Artaxata* regia Tigranis: *Tigranocerta* a Lucullo expugnata, &c. Hic ſunt altiſſimi montes, in quibus arca Noæ creditur conſediſſe. Etiam Euphratis & Tigridis, maximorum fluminum, in his montibus fontes exiſtunt.

IV. SYRIA quinque majores provincias continet, Comagenam, Seleucidem, Cœleſyriam, Phœniciam & Palæſtinam. Leucoſyri vero, ut diximus, ſunt pars Cappadociæ.

1. *Comagene.*

COmagene Amáno monte & Euphrate circumſcripta regni caput habuit *Samoſatam* ad Euphratem, Luciani & Pauli Samoſateni archihæretici patriam: ad radices vero Amáni *Germaniciam* patriam Neſtorii itidem hæretici. Famoſæ hîc ſunt *pylæ*, vel Syriæ in monte Amano *portæ*.

2. *Seleucis ſeu Antiochene.*

SEleucis etiam Antiochene, item *Tetrapolis* a quatuor majoribus, quas præter alia oppida continet, urbibus dicta fuit, quæ ſunt *Seleucia*, *Antiochia*, *Laodicéa*; omnes maritimæ, portubus inſtructæ & ex ſacris quoque hiſtoriis notæ: & *Apaméa* mediterranea ad Libanum montem. *Daphne* vero eſt Antiochiæ ſuburbium voluptatibus infame, & tam ſeverioris diſciplinæ Romanis ducibus,

bus, quam Eccleſiæ Patribus deteſtatum. Inſuper huc pertinent *Alexandriola* portus ad Iſſicum ſinum, nunc Alexandretta: & Turcica metropolis *Aleppo*. Pars hujus Provinciæ ad Iſſicum ſinum vocatur *Pieria*, unde huic Antiochiæ & Seleuciæ cognomen naſcitur.

Fluvius hîc eſt *Orontes*, & mons *Caſius* tantæ altitudinis, ut, quod Solinus cap. 49. refert, e vertice ejus quarta adhuc noctis vigilia conſpiciatur globus Solis. Unde Adrianus Imperator illum videndi Solis ortus gratia nocte aſcendit, Spartiano teſtante in Vita ejus cap. 14. Ita cum Salmaſio Spartianum interpretamur, quamvis Caſaubonus id malit de Caſio monte inter Ægyptum & Arabiam intellectum.

3. *Cœleſyria.*

COeleſyria ſive *Concava* infra Comagenam inter Libanum,

Antilibanum & montes Arabiæ deſcendit, metropolin habens *Damaſcum* regum olim ſedem. In pagis montis Libani *Maronitæ* Chriſtiani ſparſim habitant purioris Syriaſmi propagatores fere unici. Ad Euphratem eſt *Zeugma*, ubi Craſſus infauſtis auſpiciis in Parthiam trajecit: item *Hieropolis*, *Thapſacus*. *Laodicéa* vero eſt ad Libanum, etiam *Palmyra*, unde regio Palmyrene dicitur. Sedem regiam Palmyræ Odenatus & Zenobia, in Hiſtoria Auguſta Trebellii Pollionis celebrati, habuerunt.

4. *Phœnicia.*

PHœnicia maritima eſt & ſubjacet Antiochenæ verſus Auſtrum. Urbes & inclyti portus ſunt *Tripolis*, *Biblus*, *Berytus*, *Sidon*, *Tyrus*, cum oppidulo *Sarepta*. Habetur etiam Phœnicia *mediterranea*, ſed ſine claris oppidis.

5. *Palæſtina.*

PAlæſtina, ſive Canaan, regio Iſraëlitis a DEO deſtinata, ſubdividitur in Galilæam, Samaritanam, & Judæam: quibus Peræa, Idumæa, Philiſtæa addi poſſunt.

GALILÆA eſt vel *Superior* vicina Phœniciæ, Galilæa gentium vocata, portio tribus Aſer & ex parte Naphthali, ubi *Dan* Palæſtinæ terminus ſeptentrionalis, terra *Cabul*, a Salomone Tyriorum regi conceſſa, quam ὅρια Tyri & Sidonis Evangeliſta vocat, & maritima *Ptolemais*, olim Aço dicta: vel *Inferior* ad lacum Geneſareth, ad quem ſitæ erant *Tiberias*, (olim Rakkath) ab Herode Tetrarcha in honorem Tiberii ornata, Academiæ poſtmodum Judaicæ domicilium: *Capernaum* & *Tarichæa*: in mediterraneo *Nazareth*, *Zippor* itidem quondam Judaica Academia, *Cana*, & *Chorazin*, quam cum doctiſ-

ſimo

Digitized by Google

ſimo Lightfooto non in Peræa, ut vulgo faciunt, ſed huc tranſcribimus. In Samaritidis vero confinio erat *Scythopolis* (antea Bethſchean) Ethnici juris civitas & ſola Cisjordana ex urbibus Decapolitanis. Portio hæc erat tribus Zabulon & ex parte Naphthali. Montes hîc ſunt *Thabor*, *Carmel*; at *Hermon* circa fontes Jordani.

SAMARITANA inter Galilæam & Judæam media metropolim habuit *Samariam* regum Iſraëlis ſedem, quæ poſtea ab Herode reſtaurata & in Auguſti honorem *Sebaſte* dicta fuit. Tempore vero ſecundi Templi metropolis fuit *Sichem* (Sichar Joh. 4. 5.) ex incrementis & ornamentis ſuis *Neapolis* vocata. Præterea erant *Jeſreel*, *Naim*, &c. & hæc portio fuit tribus Ephraim & dimidiæ Menaſſe. Ad mare Mediterraneum erat *Iſſbacharitis*, habitatio tribus Iſchachar, ubi *Cæſarea Palæſtina* (antea Turris Stra-

tonis)

tonis) Auguſti Cæſaris honori ab Herode ornata, poſtea ſedes Procuratorum, quos Cæſares in Palæſtinam mittebant: & *Antipatris* ab Herodis patre cognominata. In finibus Benjamitidis erant *Bethel* (quam Prophetæ quoque Bethaven vocant propter idololatriam) & *Ephrem* Joh. 11. 54. unde quoque ad Judæam referri poſſunt.

Montes Samaritidos ſunt *Gilboë* Saulis & Jonathanis clade infames: *Montana Ephraim*, & præcipue mons *Gerizim* templo auguſto in Hieroſolymitani æmulationem a Sanballath ornatus, etiamnum Samaritanæ Semijudæorum ſectæ ſacer, cui oppoſitus eſt mons *Ebal*.

JUDÆA a montibus Ephraim ad Ægypti & Arabiæ deſerta prorogatur. Metropolis *Hieroſolyma* laude major: reliqua quoque oppida ex ſacris hiſtoriis notiſſima, *Bethlehem*, *Emmaus*, *Hebron*, *Hierichûs* (Jericho)

ad

Digitized by Google

ad quam palmetum erat & balſami, ut Strabo vocat, paradiſus: porro *Siloh, Rama, Nob, Anatoth, Bethſchemes*, & in Talmudicis hiſtoriis celebrata *Lod*, vel *Lydda*: etiam *Beth-Tar* ſive *Bitter*, in parte Auſtrali ad mare Magnum, clade Ben Cozbæ memorabilis. Ultimi ad meridiem termini erant *Berſabe* & *Cadesbarnea* cum *Fluvio Ægypti*, qui & *Sibor* dicitur. Ab ortu adjacet Judææ lacus *Aſphaltites* (Mare Mortuum) in regione Sodomæ & Gomorrhæ cœlitus everſarum.

Regnum Judææ ſitu ſuo continebat a ſeptentrione tribum *Benjamin*, in meditullio *Juda*, ad mare *Dan*, ad deſerta Ægypti *Simeon*, licet Simeon & Dan Samaritanis regibus paruerint, & cum reliquo Iſraële in Aſſyriam fuerint deportatæ.

Peræa omnis Tranjordana regio eſt varie diviſa in Ituræam, Auranitidem, Batanæam, Trachonitidem,

dem, Gaulonitidem, quæ omnes ad ſeptentrionem erant: & in Peræam ſtricte dictam, quæ his in meridiem ſubjacebat, a lacu Geneſareth ad Mortuum mare devergens. Ituræa forſan eſt ipſa Auranitis, & putatur a fontibus Jordanis incipere, ubi *Caſarea Philippi* eſt a Philippo Herodis filio condita & ipſa urbs τῆς Δεκαπόλεως. Ulterius in ſeptentrionem erat *Abilene* Lyſaniæ tetrarchia, Luc. 3. 1.

Batanæa videtur antiquum regnum Baſan (S in T mutato Syrorum more) quod dimidia tribus Menaſſe occupavit. Oppida ſunt *Bethſaida*, (quam Lightfootus perperam in Galilæa poni docuit) poſtea *Julias* appellata: & alia *Julias* cognomine *Bethammptha*, utraque ad lacum Geneſareth: deinde *Magdala*, *Dalmanutha*, *Golan*, a qua regio illa *Gaulonitis* quoque appellatur. Magna quoque ejus pars ad *Decapolin* pertinebat, quæ Ethnici juris civitates erant,

v. g.

v. g. *Pella* Chriſtianorum in obſidione Hieroſolymitana receptaculum, *Hippo* (Suſitha) *Gadam*, cui vicina erat *Gergeſa*. Hîc quoque vetus terra Gilead cum oppidis *Jabes, Ramoth* & *Gilead* erat. Batanææ in orientem adjacebat *Trachonitis* Arabibus proxima.

Peræa proprie dicta habebat *ditionem Scythopolitanam*, quamvis ipſa urbs cis Jordanem fuerit: deinde oppidum *Adam* Joſ. 3. 16. & in Auſtrali parte caſtella duo *Macharuntem*, in quo captivatus fuit Baptiſta & occiſus; atq; *Herodium*, Tetrarchæ Herodis regiam. Non procul abfuiſſe *Salim*, *Ænon* loca baptiſmate Johannis nobilitata, ex hujus cum Herode familiaritate colligitur. *Bethabara* vero creditur in ditione Scythopolitana trans Jordanem fuiſſe. Peræa olim Amorritarum regio erat: poſt tribuum Ruben & Gad.

IDU-

IDUMÆA (vetus Edom) montana regio ad meridiem maris Mortui habuit oppida *Theman*, *Dedan* & montem *Seir*.

PHILISTÆA denique maritima erat & Judæa parallela habens quinque potentes urbes, *Gazam* (dictam a theſauris, quos Cambyſes bello Ægyptio ibidem depoſuit teſte Mela lib. 1. c. 11.) *Ekron*, *Azot* vel Aſdot, *Aſcalon* & *Gath*. Vicinus eſt portus *Joppe* (Japho olim) & *Jabneh* Synedrii aliquando ſedes.

V. ARABIA eſt triplex 1. PETRÆA Palæſtinæ ad meridiem oppoſita, in qua ſunt deſerta illa, in quibus Iſraëlitæ XL. annos erraverunt, cum montibus *Sinai* & *Horeb*. Ad ſinum Arabicum fuit *Ezjon geber* navale Salomonis. In finibus Moabitarum non procul a Mortuo mari erat *Petra* (Ebræis Sela) metropolis montibus inacceſſis vallata, Aretæ regia, unde toti regioni videtur nomen

men eſſe: præterea *Boſtra* patria Philippi Imperatoris Romani. Incolæ erant Nabathæi, Amalekitæ, Midjanitæ, & verſus ortivum ſeptentrionem Moabitæ.

2. DESERTA inter Petræam & Babyloniam ſita, cujus incolæ erant Kedareni, Scenitæ, Nomades.

3. FELIX & thurifera inter ſinum Arabicum & Perſicum ſpatioſa regio.

Urbes habet *Sabam*, cujus regina ad Salomonem venit: *Meccam* natalibus Mohammedis; *Medinat-alnabi* ejuſdem impoſtoris ſepulcro famoſas, &c.

VI. CHALDÆA ſive BABYLONIA, in ſacris *Sinear*, circa divortia & oſtia Euphratis eſt, ad quem fluvium ſita fuit metropolis *Babylon*, orbis quondam caput. Poſt hanc *Seleucia Magna* ad confluentem Tigridis & Euphratis. Hîc quoque fuit *Ur* Abrahami patria, & in ripa Euphratis *Pombeditha*, *Sora*, *Neharda*,

Ju-

Judæorum ſcholis celeberrimæ. Et quia hîc Euphrates tripartito dividitur, eique ſe Tigris immiſcet, putant multi hæc quatuor eſſe Paradiſi flumina & hanc illius ſedem.

VII. MESOPOTAMIA ſupra Babyloniam eſt ſeptentrionem verſus inter Euphratem & Tigrim media. Oppida ſunt *Edeſſa* ad Euphratem (in confinio Comagenæ Syriæ) cujus regulo Abgaro (Ἄυγαρον vocat Cedrenus f. 145.) miſiſſe Chriſtus epiſtolam fingitur, quam Cedrenus ibidem recitat. Deinde *Carre* (Patriarcharum *Haram*) Craſſi clade nobilitatus locus: *Apaméa* ad Euphratem, Zeugmati Syrorum oppoſita: *Niſibis*, *Nicephorium*, *Singara*, hiſtoriis nota oppida.

IIX. ASSYRIA ſive *Adiabene*, (ex Ammiani enim deſcriptione lib. 23. eadem fere eſt cum Aſſyria) a Syria bene diſtinguenda eſt, quod inter utramque Euphrates cum ſpa-

tio-

tioſiſſimis campis interjacet. Metropolim habuit *Niniven* (*Ninum* profani vocant) ad Tigrim fluvium, ambitu ſpatium 490. ſtadiorum complectentem, quod & Jonæ prophetia confirmat. Sedes erat Monarcharum Aſſyriæ. Poſt hanc fuerunt *Arbela* Darii clade & Alexandri victoria apud Curtium celebrata, licet non ad Arbeta, ſed ad vicum *Gaugamela* prælium factum Strabo tradat, a nobiliori vero loco, quamvis remotiori, Macedonas denominaſſe.

IX. COLCHIS, IBERIA & ALBANIA tractum, qui inter Pontum Euxinum & Caſpium mare eſt, abſolvunt. *Colchis* quidem ad Ponti litus orientale monte Caucaſo & expeditione Argonautarum celebris oppida habuit *Phaſidem* ad fluvium hujus nominis, emporium: & *Dioſcuriadem*, poſtea *Sebaſtopolin* dictam. A ſeptentrione attingit *Tauricam*, regionem, quæ *Cherſoneſo Tauricæ* vicina eſt.

A

Albania vero eſt ad litus occidentale maris Hyrcani, cui Strabo nullas urbes, fluvium tamen *Cyrum* & *Araxem* tribuit, quorum hic illum recipit & in Caſpium mare defert. *Portæ* hîc ſunt *Caucaſiæ* ſive *Caſpiæ*.

Iberia tandem inter Colchidem & Albaniam media eſt a ſeptentrione Caucaſum, a meridie Armeniam habens. Strabo tribuit ei munitas urbes Armeniæ oppoſitas *Harmozicam* & *Seumaram*, apud quas Pompejus regionem irruperit cum exercitu.

X. MEDIA, Albaniæ propinqua inter Perſiam & Caſpium mare ſita, duplex eſt ſecundum Strabonem, *Magna* & *Atropatia*.

Magna Media, Parthiæ contigua, imperium tenuit uſque ad Aſtyagem, & regiam habuit *Ecbatana*, opulentam urbem, qua uſi quoque ſunt æſtivo tempore reges Perſarum, & poſtea Parthorum. Præter hanc fuit *Rages* (Straboni *Ragæ*) ex Tobiæ hi-

Digitized by Google

ſtoria notæ. Meridionalior ejus pars verſus Perſiam dicebatur *Paratacene.*

Media Atropatena Magnæ ad occidentem opponitur, ab Armenia vero ſeparatur fluvio Araxe. Nomen habet regio ab Atropato duce, qui obſtitit, ne in Macedonum ea poteſtatem veniret, cujus poſteri etiam cum regio titulo ad Strabonis uſque tempora poſſederunt. Metropoles habet duas *Gazam* regum æſtiva: & *Veram* munitam urbem ab Antonio in expeditione Parthica oppugnatam. Montes regionis ſeptentrionales inhabitabant *Caduſii* proximi famoſis portis Caſpiis.

XI. PERSIAM Media a meridie habet, in qua *Perſepolis* regia Darii ab Alexandro cremata. *Suſæ* Cyri regia fuere: *Paſergadum* munita urbs, gazæ cuſtodia & Cyri ſepulcro nobilis.

XII. PARTHIA ignobilis olim regio Mediæ ab ortu oppoſita: poſtea

ex

ex ruinis Perſicæ & Græcæ monarchiæ ita aucta, ut imperium orientis occupaverit ipſos quoque Romanos bello ſubinde inſeſtans. Regia provincialis erat *Hecatompylus* non procul a loco, quo hodie Iſfahan eſt Perſarum regia. Potentiores vero facti Parthorum reges æſtiva *Ecbatanis* habuere, ut jam dictum eſt: hiberna vero *Seleuciæ*, quæ Magna dicitur & Babyloni vicina fuit, aut *Cteſiphonte* in altera Tigridis ripa non procul a Seleucia. Confinis Parthiæ *Hyrcania* erat, quæ tam a Perſis, quam Macedonibus Parthiæ fuit accenſa.

XIII. Ad ortum Perſiæ adjacet *Carmania*, quæ fretum attingit, ubi nunc eſt regnum Ormuz: & ulterior *Gedroſia* ad *Rubrum* ſeu *Erythræum* mare. Supra has in ſeptentrionem eſt *Drangiana* & *Paropamiſis*, & poſt hanc ad Nilum fluvium *Arachoſia*, divites quidem regiones, ſed haud celebrium oppidorum.

Digitized by Google

XIV. BACTRIANA opulenta provincia poſt Caſpium mare ſub Oxo fluvio. *Bactra* ſunt caput gentis: poſt hæc *Maracanda*. Vicini erant *Maſſagetæ* ad Oxum, & *Margiana*.

XV. SOGDIANA ampla regio inter fluvios Oxum & Jaxartem, quem falſo Alexandri milites Tanaim eſſe crediderunt. Oppida erant *Marginia*, & *Petra* inexpugnabilis viſa, nihilominus ab Alexandro expugnata, Curt. 7. 11. *Sacas* populos a Sogdianis Jaxartes dirimebat, in horum confinio erat *Cyropolis* ab Alexandro deleta.

XVI. De INDIA utraque *intra Gangem* & *extra* illum, ut & de SCYTHIA Aſiatica *intra Imaum* montem & *extra* eundem meræ tenebræ ſunt in antiqua Geographia, niſi quod in citeriore India Alexandri expeditio quædam de Mallis, Oxydracis, Brachmanibus, Poro rege, &c. nota fecit, quos magnis & munitis urbi-

urbibus non caruiſſe ex Curtio aliiſque conſtat. Quarum nomina extant, ſunt potiſſimum *Nyſa*, a Libero patre, ut putabatur, condita: *Bezira*, *Nora*, *Taxila*, *Petra Aornus*, & ad oſtium Indi *Patala*. Multa quoque in his oris a Macedonibus ſunt condita oppida, ut *Nicaa*, *Bucephala* in Pori regno, &c.

Flumina Indiæ notiora ſunt *Indus*, *Ganges*, *Hydaſpis*, & *Hypaſes* expeditionis Alexandri terminus.

Celebrant etiam veteres inſulam *Taprobranam*, quæ noſtræ Ceilon fere reſpondet, quamvis alii Sumatram malint: & *Ophir* Salomonis videtur Aurea Cherſoneſus ſive Malacca fuiſſe.

Hactenus de Antiqua Aſia: ſequitur NOVA, cujus ſecundum imperiorum aut nationum diſtinctionem potiſſimum ſunt quinque partes, Turcia Aſiatica, Perſia, India, Tartaria, China. De ſingulis breviter.

De Turcia Aſiatic

TUrcicum in Aſia imperium
Helleſponto ultra Euphraten
ad Tigrim fluvium protenditur i
multas nationes, gentes regnaq
diviſum. Præter enim *Natoliam*,
eſt, magnam peninſulam Cyprio
Pontico mari comprehenſam, con
net univerſam Syriam, Armenia
Colchidem, Arabiam omnem, Bab
loniam, Meſopotamiæ ac Aſſy
partem cum inſulis Mediterranei m
ris. Proinde ſunt urbes

I. Aſiæ Minoris ſeu intra Tauru
Scutari, vetus Chalcédon, e regio
Conſtantinopoleos: *Burſia*, Pruſ
prima Turcarum in his oris regi
Iſnich Nicéa: *Nichor*, Nicomedia
Dardanelli arx, qua Helleſpontus d
fenditur, cui in oppoſito Europæ
tore aliud ejuſdem nominis reſpo
det: *Fochi Vechia* Phocæa: *Smyrna*
celeberrimum emporium nomen a

t

tiquum retinens: *Melaſſo* Miletus: *Efeſo* vero priſtinum ſplendorem amiſit: *Tire* Thyatire in Lydia, *Filadelphi* terræ motibus quaſſata: *Menteſe* Myndus Cariæ, & *Anguri* Ancyra Galatiæ, utraque ſedes Præfecti ſeu Satrapæ.

II. Caramaniæ regni, quo Cilicia & Lycaonia potiſſimum ſignificatur, metropolis eſt *Cogni* Iconium, Baſſæ ſedes: poſt hanc *Tarſo*, *Polopoli* Pompejopolis, *Ajazza* Iſſus, &c.

III. Cappadociæ & Ponti urbes ſunt *Trebiſonde* (Trapezus) ad Pontum Euxinum, regni Trapezuntini, quod Alexius Comnenus Conſtantinopoleos tyrannus exul fundaverat, quondam caput, nunc Præfecti Turcici ſedes. Huc pertinet regio Colchis, nunc *Mengrelia*, pars regni Trapezuntini, cujus urbes ſunt *Faſſo* Phaſis, *Savatopoli* Sebaſtopolis ſeu Dioſcurias. Et reliquis Ponti urbibus *Chiutajo* nunc præcipua eſt, in Cap-

Digitized by Google

padocia *Niſi* Niſſa, *Nazianzum*, &c.

IV. Soriæ ſeu Syriæ metropoles hodie ſunt *Aleppo* & *Damaſcus* ambæ Baſſarum ſedes. Portus quoque antiqui *Alexandretta*, *Antiochia*, *Tripolis*, *Baruti* (Berytus) *Jaffa* ſeu Joppe, &c. non minus, quam olim, frequentantur. Ut taceamus *Hieroſolymam* novam, & alia Palæſtinæ rudera potius, quam oppida.

V. Arabia quoque omnis Turcarum eſt inque ea *Arach* (Petra olim) metropolis Petrææ Arabiæ: & in Felice, quæ nunc *Ayaman* dicitur, præter Mohammedis urbes *Medinam* & *Meccam*, de quibus ſupra egimus, *Zibith* (Saba,) *Zidem*, & *Aden* bene munita.

VI. In Babylonia quoque, Meſopotamia & Aſſyria multa Turcæ occuparunt, præprimis metropolim *Bagdad* ad Tigrim, quam vulgo *Babylonem* vocant, procul vero ab Eu-

phra-

phrate & veteri Babylone diſſitam: Propius vero abeſt a loco, in quo Seleucia Magna fuit, e cujus ruinis videtur ſurrexiſſe. Porro *Muſul* ſeu reliquiæ veteris Ninives ad eundem Tigrim: *Arziri*, ubi ſedes eſt Beglerbegi ſeu Præfecti Turcici, unde tota provincia Arziri vocatur.

VII. Tandem Armenia tum Major, tum Minor hodie Turcarum eſt. Majoris pars ſeptentrionalis eſt *Turcomannia*, *meridionalis* Curdi; inter utramque media *Popul* appellatur. Minoris partes ſunt *Begian* ad ſeptentrionem, *Bozoch* ad meridiem. Pars quoque *Georgiæ*, id eſt, Albaniæ & Iberiæ huc pertinet, licet major pars ſit in poteſtate Perſarum.

